B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA

De

UMBILICO

ET

VASIS UMBILICALIBUS,

QUAM

IN PERANTIQUA ELECTORALI PALATINATUS RHENI UNIVERSITATE

SUB CLYPEO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. GEORGII FRANCI,

MED. DOCT. ET P.P. FAMIGERATISSIMI, ORDINIS SUI h. t. DECANI SPECTATISSIMI, DN. PATRONI, PROMOTORIS ET PRÆCEPTORIS SUI COLENDISSIMI;

Placida Philiatrorum ventilationi exhibens

Ad Diem Ianuarii,

A. O. R. cIɔ Iɔc LXXIII.

H. L. Q. S.

Defendet

BENEDICTUS HERMANNUS, Memmingensis,

AUCT. ET RESP.

TYPIS JOH. CHRISTIANI WALTERI, ACAD. TYPOGR.

V I R I

MAGNIFICE , MAXIME STRENVI , NOBILISSIMI , AMPLISSIMI

DN. EITEL SIGISMUNDE Lupin. ⎤ Inclutæ S.R.I. Lib. Rei-
DN. JOH. MATTHÆE Hartlieb. ⎬ publ. Memmingensis
DN. JOH. JACOBE Koch. ⎦ Consules Prudentissimi.
DN. JOHANNES Wachter / Prætor Consultissime.
DN. HIERONYME Schermair. ⎤ à Secretioribus Con-
DN. WILHELME Zoller. ⎦ siliis.
DN. JOSEPHE Jenisch / U. J. L. Celeberrime , Reipubl. Patriæ Syndice, aliorumque Statuum Consiliarie Gravissime.
DN. M. TOBIA Hermann / Ecclesiæ Patriæ Minister fidelissime , Parens dilectissime.
DN. JACOBE Schütz / Archigramateu Spectatissime, Affinis honoratissime.

Dnn. Mecænates , Patroni , Evergetæ atque Promotores observantissime colendi :

Omina principiis inesse solent ! *Principium hîc Vobis meum; cui DEVS superaddat finem beatum! Omen si ominemini, habebitis hîc observantiam consuetudinis priscæ , sed laudabilis : illic* μνημοσύνην *gratitudinis, sed macræ : pietatis ibi* τεκμήριον *, sed infucatæ ! Nimirum , ne vos pœniteat clientis , nève Patronis ego diffidam , conatum primum è Vobis oriundum ad Vos regrediendum putavi. Suscipite suscepti cepta : qui Strenam mittit Omnipotentis Clementiam & Benedictionem*

fidelis ac devotus cliens

Benedictus Hermannus , Memming.
Auct. & Resp.

Procœmium.



Ix ullibi minùs quàm in minimis otiosam esse Naturam, sexcentis pronum esset demonstrare exemplis, ex Macro & Micro-cosmo depromtis, si id instituti nostri perferret ratio. Scilicet, voluit hac methodo non in sui duntaxat admirationem nos rapere sapiens hæc rerum Magistra; quin potiùs ad sua adyta alacriter penetranda quemvis sui Studiosum instigare, maximè tamen eos, quibus dedit à se vocari NATURÆ MINISTROS, MEDICOS. Quos, si unquam, hoc sanè quo vivimus, sæculo quàm maximè habuit obsequiosos, haud exiguo nostro ad Eorum pedes sedentium emolumento, quippe quibus vel minutissimas etiam valvulas, minutissima vascula, ad irrorandas succo suo corporis humani partes apta nata lynceo Eorum oculo jamjam videre licet, & quales ipsis tàm in conservandâ quàm destruendâ Microcosmi sui fabricâ, vires concesserit Natura, perspicere. Sequamur ergò & nos hac vice Eorum ductum, tentantes nostram locare opellam in explicandâ quadam corporis humani parte, & ipsâ quidem adspectu parvâ; usu verò satis magnâ; Microcosmi scil. centro, UMBILICO. A quo proposito licet penè me absterruisset C. HOFMANNUS, Medicus aliàs Oraculi instar habendus, dùm Comment. in Gal. (a) *umbilicum in animali perfecto INANE tantùm NOMEN vocat: in potiori tamen loco, quæ subsecutura sunt, apud me fuerunt.*

(a) l. XV. de V. P. c. 4. n. 1676.

Adsis ergò nostris conatibus Benignissime DEUS, & facis, ut quam aggredimur de UMBILICO Dissertationem, ad umbilicum perducamus FELICITER!



CAP. I.

De Onomatologiâ.



Unt nomina notæ rei, & Græcis ὄνομα, ſecundùm Scaligerum (a) dicitur, qſ. ὀνέομα, à juvando ſc. in rerum ipſarum cognitionem. Meritò itaque & nos nominis præmittimus notationem ipſius rei deſcribtioni. Et eò quidem magis, quò latiùs ſeſe vocis noſtræ ὁμωνυμία in aliis qq. Medicinæ Objectis denominandis diffundit. *Impropriè* namque quando accipitur umbilici vocabulum, denotat rem vel *Situ* cum umbilico propriè dicto communem, vel *figurâ*. Si *illud*, umbilicus ſignificat omne id, quod in aliquâ re eſt medium. Hinc *Plautus* (b) ait: Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus, id eſt, ut benè adnotavit *Lambin.* jam meridies eſt. Ita quod in pomis vel conditur, vel prominet, ab adversâ pediculi parte, umbilicus dicitur, teſte *Corvino* (c) Pari ratione *umbilicus Solis* vocatur exiguus ille circulus, cujus in medio gnomon figitur, aut quem medium interſecant lineæ in ſciaterico amuſiove, *Id. ib.* Porrò locus, quòd in mediâ eſt Inſulâ ſitus, *umbilicus Siciliæ* nominatur *Ciceroni.* (d) Nec non Hieroſolyma, quòd credebatur olim, quamvis ex falsâ hypotheſi, in Terræ medio exſtitiſſe, *umbilicus Terræ* audiebat. Quod idem nomen, ſed & eodem jure, ſuperſtitioſo prætereà Corvorum (vel, ut *Plutarcho* placet, olorum) volatu decepti antiqui Græci, Delphis, famoſo illi Apollinis Clauſtro, vindicarunt, teſte *Varrone* (e) & *Strabone l.9.* Tranſibat hinc idem *umbilici Terræ* nomen etiam in materiam medicam, & herbam illam, quæ aliis Cyclamen, arthanita, panis porcinus, &c. dicitur,

(a) de cauſ. L. Lat. c. 76.

(b) Menæchm. act. 1.

(c) font. lat. in voc. umbilicus

(d) 6. in Verr.

(e) de L. Lat. l. 6. col. 49.

Trago

Trago designabat; propter *figuram* forsan, quâ cum nostro umbilico convenit. Est & alia planta, *umbilicus Veneris Matthiolo* dicta quæ *Dioscoridi* (f) κοτυληδὼν est, scil. à figurâ folii acetabulo simili, teste *Bauhino*. (g) *Sed umbilicus Veneris* officinarum *Loniceri* est vulgò dicta Cymbalaria, *Bauh.* (h) Porrò umbilici veneris species altera *Anguillaræ*, est Sedum majus vulgare. Similem figuram obtinet quædam fuci subrotundi species *Imperati*, hinc sibi nomen *umbilici marini* contraxit, ap. *Bauhin.* (i) Umbilicus verò Marinus Monspeliensium est Androsace *Lobelii & Lugdun. Bauhin.* (k) Reperitur & in mari lapis, qui referente *Boëtio* (l) umbilici humani similitudinem & magnitudinem habet; unde etiam obtinuit umbilicus marinus, item umbilicus Veneris dici. Videtur hic lapis diligenter intuenti conchæ esse rudimentum, aut concha compressa, spiras enim habet in gyrum actas, teste *Auctore append. ad Pharmacop. Schröderi p. 19.* Hinc forsan est, quòd *Corvinus l. c.* ait: esse genus concharum marinarum, quæ umbilici dicantur. Quamvis & apud *Ciceronem* (m) umbilici nominentur calculi littorales, umbilici puellaris specie, è lato se in acutum quadam claviculâ fastigantes, quos Veneris umbilicos quidam vocant, teste *Adr. Turneb.* (n) Restat adhuc alia satis aliàs usitata vocis hujus significatio, quà Interprete *Porphyriò*, denotat ornamenta quædam ossea, aut lignea, corneave, umbilici nostri formam imitantia, quæ voluminibus jam absolutis addebantur, uti & *Lambinus* (o) animadvertit: unde ortum suum traxit tritum illud, quo rem, qui fermè absolvit, ad umbilicum deduxisse dicitur; ita loquitur *Martialis* (p) Sed, ut diximus, mutuatæ sunt hæ res suam denominationem ab eâ corporis nostri parte, quæ in medio abdominis sita, *propriè* umbilicus dicitur: Et vel consideratur, ut in *fetu* est, vel ut in *adulto*: vel rursus, ut *in abstracto* involucrum tantùm, vel receptaculum est vasorum suorum; vel *in concreto* cùm vasis junctus, unam partem constituit. Circa quæ in seqq. erimus occupati.

Pergimus ad *Etymologiam* brevibus absolvendam. Dictum quidam volunt umbilicum à Græcâ, idem denotante, voce ὀμφαλὸς, ὀμφαλικὸς, φ in b, ut vulgo obsonium, inquit *Becman* (q) Magis tamen arridet deductio *Fabri* cui & *Bartholinus* (r) adstipulatur, originem sc. suam trahere ab *umbone*, quæ vox quicquid in plano

(f) l. 4. c. 92.
(g) Pinac. l. 7. s. 5. fol. 285.
(h) l. c. l. 8. s. 3. f. 307.
(i) l. c. l. 10. s. 4. f. 364.
(k) l. c. f. 367.
(l) l. 2. de gemm. & lap. c. 177.
(m) l. 2. de Orator.
(n) advers. l. 24. c. 46.
(o) ad Hor. Epod. 14.
(p) l. iv. epigr. 91. I. 67. 111. 46. V. 6.
(q) de Origg. L. L. p. 815.
(r) A. R. l. I. c. 37. p. 198.

plano eminet, significat, quod commodè etiam de nostro dicitur umbilico. Nec adeò absona est, ut aliæ nonnullæ, quas affert, *Isidori* derivatio, qui compositam quasi vult nostram vocem ex ***umbo*** & *ilium*, quod sc. ibidem loci sit umbo iliorum (s.)

Quod *Synonymiam* attinet: Græcis ὀμφαλὸς communiter; *Aristoteli* verò peculiariter, quoniam edito in lucem primò omnium abscinditur, προ̃τμησις, teste *Lauremberg.* (t) quo nomine & ***Homero*** venit (u) *Germ.* der Nabel. Aliis *Umbilicalis funiculus* dicitur, *Lauremb. l.c.* quod nomen sc. tàm diu saltem retinet, quamdiu fetui adhæret: quale & illud est, quo *intestinum umbilicale* audit *Varolio* (vv) Aliis *chorda umbilicalis*, ut Fabr. ***Hildano*** (x) & Germanis die Nabelschnur.

Hinc *Paronymicè* tota media abdominis regio, quæ superiori & inferiori contradistinguitur, ***Umbilicalis*** dicitur, teste I. Th. *Schenckio.* (y) Hinc etiam *vasa*, de quibus postea cap. III. quoniam per umbilicum tendunt, *umbilicalia*. Quinam à Græca voce ἐξόμφαλοι, quinam πνευματόμφαλοι &c. ex seq. cap. VI. patefiet. Suum itidem inde nomen accipit umbilici pars media ἀκρόμφαλος dicta, teste *Ruffo Ephesio* (z).

CAP. II.

De Describtione agit, & quò referri debeat, exponit.

SUnt qui partem nostram, ut in *fetu* solùm observatur, definiunt, umbilicum dicentes membranosum quoddam receptaculum, vel ductum, intestini ferè formam mentientem, per quem à fetu vena & arteriæ maternum ad uterum surgant, uti facit *Veslingius* [aa] *Blasius* (bb) *Iac. de Back.* (cc) *Deusing.* [dd] *Galenus verò* [ee] cum *Aëtio* [ff] & aliis, summatim se umbilici essentiam comprehendisse putant, cum dicunt, umbilicum nil esse aliud, quàm quatuor vasa, in medio sui urachum appellatum habentia, quæ describtio an firmâ nitatur hypothesi, seq. cap. docebit. Alii contra, ut *in adulto* homine sese videndum exhibet, describunt, quos inter est

(s) Orig. l. IX. p. 1098.
(t) anat. corp. hum. Exerc. IV. p. 105.
(u) Iliad. λ.
(vv) Anat. l. 4. c. 5.
(x) cent. 1. obs. 50 p. 210. & p. 212.
(y) Schol. part. p. 78.
(z) de appell. part. corp. hum. l. 1. c. XI.
(aa) Syntagm. Anat. c. 8.
(bb) Anat. contract. l. 2. part. 1. c. 19.
(cc) de cord. alloq ad Lector. p. 47.
(dd) Inst. Anat. p. 146.
(ee) l. de dissect. vulv. cap. ult. ad fin.
(ff) tetrabibl. 4. serm. 4. c. 3

est *Lauremberg.* [gg] umbilicum eam esse abdominis particulam, quæ partim prominula, partim hiulca esse cernitur, adnexum habens fasciculum diversorum vasorum, transmissorum à Visceribus ad superficiem corporis. Breviùs ita ejus describtionem absolvit *Ruf. Ephesius l. c.* Ventris media pars ὀμφαλὸς umbilicus est, venarum per quas infans alitur, segmentum. *Nobis* verò cùm utroque modo considerandus veniat, communem etiam utrique cudamus definitionem, hanc scilicet: Umbilicus est pars corporis humani dissimilaris, in medio abdominis, immò totius corporis sita, è semine & sanguine materno in utero orta, constans membranâ quodammodo carnosâ & vasis umbilicalibus, fetui cum placentâ & membranis involventibus, nutritionis gratiâ, continuis, ab eodem verò post exclusionem separatis, ubi relictâ hiulcâ & prominulâ portiunculâ, interiora versus in ligamenta abit. Aliquantò quidem prolixior est hæc describtio, quod tamen, ut sufficienter ab aliis distingueretur partibus aliter vix à me fieri potuit. Dixi ergò, ut majorem Definitioni lucem affundam, umbilicum esse *partem*; quod nemini, quid pars sit gnaro, ignotum esse potest: Et quidem *dissimilarem*, ut intelligatur sc. nos non solam illam membranam vasa involventem, quæ similaris pars est, describere, sed & cum membrana contenta simul omnia, sive ἴσχοντα illa sint, ut membrana dicta & vasa; sive ἰσχόμενα, ut sanguis cum reliquo succo nutritio, sive ἐνορμῶντα, ut spiritus. Per *corpus humanum*, cujus partem esse diximus, si de embryo vel fetu sermo sit, non intellectum volumus *corpus* vel uterum *maternum*, contra *Cornacem*, qui ap. *Ioh. Schenckium* (hh) arterias umbilicales matri tribuit, sed *fetûs*: quoniam secundinæ non uteri, sed fetûs, à quo nutriuntur & augmentantur, partes censendæ, juxta *Harveum* (ii) & *Back. l. c.* Cum verò fetus partes alias habeat in partu *deciduas*, alias post partum *permanentes*, uti cum aliis *Vesling. l. c.* dividit; ad *illas* referendus est umbilicus, utpotè unà cum suis vasis post exclusionem statim maximâ ex parte resecandus. *Causarum* quarum meminimus, unam *efficientem*, *semen* fecimus, cum insito sibi contagio spirituoso: sive solum deinde virile admittas cum *Aristotele*, *Harveo*, & *Asseclis* recentioribus; sive utrumque, & virile & muliebre cum veterum & recentiorum multis, nobis perinde erit, nec nostram faciamus litem. Altera, quam

(gg) Exerc iv. p. 105.

(hh) l. 4. obs. 181. p. m. 431.

(ii) de gen. anim. p. 377.

quam attulimus, causa *materialis* est, *sanguis* sc. *maternus*, non excluso illo, quem veteres malè sudorem fetûs & urinam putarunt, colliquamento, intra chorion & amnion contento. De reliquis ad *Differentiam* nostræ definitionis concurrentibus fusiùs agent seqq. capita: quorum

CAP. III.

Substantiam & partes componentes, inprimis verò vasa fetûs umbilicalia considerabit.

Communis est umbilico & membranis substantia in fetu, si sc. per umbilicum eam intelligas tunicam, quæ reliqua vasa involvit Hinc *Bartholinus l. c.* dicit, quòd vasa umbilicalia integantur & obvelentur communi quadam *Tunicâ*, vel quasi crustâ, quam alii vocant intestinulum, funiculum, laqueum &c. Interim tamen non simplex planè est illa membrana, sed *carne* quodammodo *investita*, membraneus inde ac quodammodo *carnosus* ductus *Deusingio l. c.* dicta. Et quia processus esse videtur peritonæi, hinc quod aliis in enumeratione partium, ex quibus constat umbilicus, membrana est, illud peritonæum vocat *I. Th. Schenck.* (kk) quam cute insuper superinductam esse ib. ait. Quæ cutis umbilicum ambiens, quoniam corrugata senectutem significat, *γραῖα Vetula* appellatur, quod obiter ex *Ruff. Ephesio l. c.* annotare libuit. Debuit sc. instructa esse tantâ crassitie hæc membrana, quæ *Aristoteli κέλυφος δερματινὸν*, teste *Riolano* (ll) ne vasa, quæ complectitur, invicem implicentur, rumpantur, aut alio modo lædantur, *Bartholin.* (mm) Meritò itaque invasa hæc, quibus tàm benè prospexit Natura, penitiùs inquiramus, præsertim cùm ex iis tota umbilici compages contexta sit, quibus cognitis, & ipse per se innotescit. Intricatior verò cùm sit hæc materia, propter Magnos Auctores in diversas sententias abeuntes; tutiùs nos acturos putamus, si nuda horum animi sensa proferamus, tamdiu suo quemque judicio abundare concedentes, donec & nobis ipsis aliquando tàm beatis esse liceat, ocularem horum, quæ dicun-

(kk) Sch. part. p. 78.

(ll) l. c. p. 329.

(mm) A. R. p. 198.

dicuntur, habere inſpectionem; & ex eâ demum, quæ veritati maximè ſint conſentanea, colligere.

Quando in conformationis ordine ſuum indipiſcantur *ortum* Vaſa umbilicalia, non conveniunt Auctores. Qui partes omnes ſpermaticas (ſic dictas à ſuis Patronis, quòd ſemen illis materiam præbere credant, licet minùs rectè:) ſimul in utero delineari volunt, nec his noſtris vaſis diverſum à reliquis partibus ortûs principium ponunt. Cum quibus ê Recentioribus m. facit *Courvæus* (nn): Qui tamen non ſatis ſibi ipſi conſtare videtur, dum l. c. (oo) diſertè docet, non ſimul cum reliquis, ſed poſt hepar demùm emergere, dicens: Primùm conſpicitur ſanguis in corde, tùm paulò inferiùs per venam deſcendendo concreſcit, conſtituitque hepar, quo conſtituto [inquit] emergunt & propagantur vaſa una cum ſanguine, qui concretus format placentam extra puerum. Aliter ſentit *Galenus* (pp) aſſerens, poſt membranas fetum involventes primò generari venas arteriaſque (umbilicales puta, nam reliquas demùm poſt tria principalia viſcera, cor, cerebrum & hepar, oriri ſtatuit (qq)] ex eâ ratione, quòd pro generatione partium fetûs reliquarum opus ſit ſanguine & ſpiritu, quem ſcil. excipere putat venas has ex utero materno: in quâ vero ortûs ratione hallucinari videtur *Deuſingio* (rr) ut etiam ex ſeqq. patebit. Immò verò ſanguinem primò, & eodem ferè tempore vaſa & organa, venas np. umbilicales & veſiculas pulſantes ante alia omnia conſtitui ſe credere dicit perſpicaciſſimus Naturæ Perſcrutator *Harveus*. (ss) Sanguis enim neceſſariò in vaſis continetur, ac propterea (ut *Ariſtoteles* obſervavit) meatus duo venales ſtatim ab initio cernuntur, qui poſteà vaſa umbilicalia conſtituunt, *Id. ib. p. 207.* quod (tt) repetit, dicens: Venæ umbilicales multò ante conſpicuæ ſunt, quàm quidpiam corporis inchoatur. Nihilominùs hoc à vero recedere dicit *Veslingius l. c.* & arterias venamque ante cor & jecur produci negat. Neque enim utrumque viſcus ex ſanguine, ſed ex ſemine primùm vult conſtitui. Immò, ait, totius corpuſculi ſyſtema priùs componitur, quàm ex eo vaſa protendantur. Horum enim, *ratiocinatur*, ante conſtituta viſcera nullus eſt uſus, ut conceptus animantium & ſtirpium ſemina clariſſimè demonſtrant. Adſtipulatur Veslingio *Everardus*, (uu) nonne foret abſurdum, ajens, venam arteriaſque umbilicales, quia primùm in con-

(nn) part. 2. de nutr. fet. c. 10. p. 123.
(oo) p. 1. c. 12. pag. 55.
(pp) l. 15. de V. P. c. 4. & de form. fet. c. 2. & 3. it. l. 1. de ſem. c. 13. & alibi.
(qq) l. 1. de ſem. c. 8.
(rr) de gen fet. in ut. p. 90.
(ss) de gen an Exerc. 54. p. 223.
(tt) Exerc. 55. p. 234.
(uu) in novo homin. brutique exortu p. 101.

conſpectum veniunt; ſtatuere fundamentum totius corporis, iiſque partes alias accreſcere, cùm arterias umbilicales ab arteriis Iliacis, & Iliacas à corde procedere ſit certiſſimum? Suum qq. calculum adjicit *Deuſing.* (vv) probans, nequaquam partium primas, ſed demum poſt cor & jecur conſtituta produci. Longiùs vero quàm par eſt, extendere videtur horum exortum CL. *Mœbius*, qui (xx) vult, non niſi in fetu formato ea conſpici, cùm tamen vel ipſi nos, Duce *Spectabiliſſimo atque Ampliſſimo Dn. D. Præſide, Patrono & Præceptore noſtro jugiter venerando*, viderimus in embryo menſis præter propter unius, per abortum rejecto, artubus ſuis adhuc deſtituto, umbilicum nihilominus notabilis jam magnitudinis & craſſitiei, in placentam porrigi. Niſi forſan in eo excuſandum ducas *Excellentiſſimum Mœbium*, quòd fetum formatum eum dixerit, quem alii *delineatum*, in primis ſc. ſtaminibus.

(vv) Inſt. Anat. p. 150.

(xx) Fund. Phyſ. p. 364.

Hæc de ortûs tempore. Quid *de ortûs loco, vel termino à quo* ſuam ducant originem umbilicalia vaſa, ſentiendum ſit, nunc itidem ex probatis proponamus Auctoribus? Qui ſanguinem & ſpiritus ex utero materno immediatè, nutritionis & vitalitatis gratiâ in fetum derivari autumant, plerique etiam cum *Veſalio* & *Columbo* vaſorum umbilicalium 'ριζώσεως principium *in utero materno* ponunt. Hinc *Galenus* (yy) dicit. Quot ſunt orificia vaſorum in uteri cavitatem hiantium, tot ſunt initia vaſorum fetûs. Ita ſc. ut Auctore *Aëtio* (zz) ab unoquoque oſculo in uterum aperto vas generetur: ab oſculo arteriæ, arteria; à venæ oſculo, vena. Verùm, præter id, quòd *Galenus* hac in parte ipſe à ſeipſo diſſentiat, quando (a) inquit, velut plantæ duplicem exortum è ſeminibus emittunt, ſurſum truncum & ramos emittentes, deorſum radices diffundentes; ita in fetibus venas & arterias in totum corpus trunci ramorumque inſtar diſpertiri, in vulvam ut radices deſinere: vel ideò hæc ſententia admitti vix poteſt, quòd teſte τῷ θεῖῳ C. *Hoffmanno*, (b) ſenſus doceat, non eſſe proportionem inter orificia uteri, & innumeras umbilicalium radificationes: unde igitur initium habebunt illæ, quibus in utero nullæ reſpondent? Præterea, ut cum aliis *Id. ib.* teſtatur, ſenſus etiam docet, vaſa umbilicalia non penetrare ſe in intimam uteri ſubſtantiam, ſed adhærere tantùm parieti extimo: quomodo ergò vaſa inde ſunt? Anaſtomôſes quidem varias vaſorum umbilicalium αὐτόπτης notavit *Bartholinus* [c] dum

(yy) l. xv. de V. P. c. 4.

(zz) tetrab 4. ſerm. 4. c. 3.

(a) 1. de ſem. c. 9.

(b) Comment. in Gal. l. xv. de V. P.

(c) l. c. p. 200.

modò

modò ramuli venarum & arteriarum se transscendunt crucis in morem, tàm internè quam externè; modò per insertionem junguntur, modò ad latera congrediuntur, modò cochleari figurâ intorquentur: Minimi vasorum ramuli in majores compinguntur &c. sed intra placentam hæ tantum modò fiunt cum se ipsis invicem, ut promtus sc. esset transitus recurrentis sanguinis ex arteriolis ad venulas; non verò cum uterinis. Immò ex abundanti manifestè redarguit vasorum ab utero ortum *arteriarum pulsus*, quem à matris rythmo diversum obtinet fetus: quod facilè experiri licet, si manum alteram carpo matris, alteram umbilici funiculo admoveris, ait *Nobilißimus Harveus* (d). Et quanta, quæso, doloris exasperatio contingeret in partu, cùm necessum foret, illa tunc temporis disrumpi? Majorem ergò merentur assensum, qui ex ipso fetu hæc vasa oriri statuunt, quod cum *Aristotele* (e) C. *Hofmann. l. c.* & communiter illi omnes, qui sanguinem non ex matre attrahi, sed in fetu generari asserunt. Cognitò itaque principio ortûs, *insertio* vel *terminus ad quem* facilè patet ex opposito, in *placentam* enim ramuli umbilicales, ceu radices in terram sparguntur, ut loqui amat *Harveus* (f) & *Deusing. l c.*

(d) l. c. p. 376.

(e) 2. Gen. 7.

(f) l. c. p. 237.

Pergamus ad determinandum vasorum umbilicalium *numerum*, de quo itidem litigant Anatomici. Nonnulli enim *tria* tantùm admittunt, ut *Riolanus l. c.* venam, arteriam, & urachum: licet non neget, quandoque adesse geminas arterias. Alii contra geminas arterias quidem & unicam venam; urachum v. negant, de quibus p. p. Qui *quatuor* statuunt, vel duas ponunt venas, duasque arterias, ut *Galenus* & *Aëtius l. c.* qui vasa per secundam dispersa rursus inter se coire dicit, & in duos veluti stipites desinere, binasque venas & binas arterias perficere: vel unam faciunt venam, duas arterias & urachum, ut *Rejes* (g) *Deusing.* (h) cum multis aliis. *Quinque* numerant, qui concedunt & urachum, & binas arterias, sed & duas faciunt venas: ita *Galenus* (i) umbilicum nihil aliud esse ait, quàm quatuor dicta vasa, in medio urinaculum habentia: quo cum facit *Mœbius* (k) Eundem *quinarium* numerum servant, qui in locum alterius venæ tunicam involventem substituunt, quod facit *Lauremberg.* (l) *Back.* [m] Ad *majorem* assurgunt *numerum*, qui hactenus enumeratis *nervos* addunt, *vasa lymphatica* & *venas lacteas*, quod cum Recentioribus nonnullis vult I. Th. *Schenck.* [n].

(g) camp. Elys. juc. quæst. c. 11.

(h) l. c. p. 149.

(i) de dissect. vulv. cap. ult.

(k) I. M. l. 1. c. 4. p. 12.

(l) Exerc. IV. p. 106.

(m) l. c. p. 47.

(n) Sch. p. s. v. p. 1. c. 1. p. 116.

Nos ut ordine procedamus, quid in singulorum historiâ obser-

vandum sit, proponamus; initium facientes ab *arteriis*: quarum *numero duæ* sunt, communi ferè Auctorum consensu, si solum forsan exceperis *Riolanum*, qui [o] vult, arterias extra chorion, perinde ac venas, in *unum* sui generis vasculum coire; licet deinde concedat, arteriam in ventrem ingressam statim in *duas* dirimi. Hi duo verò trunci ulteriùs deinde dividuntur, ita ut sensim multiplicati plurimis tandem & minutissimis ramulis in chorion, & placentam radicentur, teste *Laurentb.* (p) & *Aquapend.* (q): Licet hic hæc proferat inverso ordine, principium ortûs ponens uterum, vel ramulos illos minutos; sed, ut supra monuimus, minùs rectè: nam censente *ingeniosissimo Harveo* [r] rami trunci sui principium non dicuntur: sed ubi truncus earum maximus reperitur, ibidem qq. ut venarum, ita & arteriarum principium censendum est. Præsupposito itaque generali *ortûs principio*, quod fetus est, *ab* hujus arteriæ magnæ descendentibus *ramis Iliacis* interiùs *protendi* arterias nostras, dicimus utrinque sc. ad latera vesicæ; uti fatentur cum *Deusingio* [s] tantum non omnes. Nisi quòd *Kerckringius* (t) eas aliquando viderit per Naturæ lusum, duobus transversis digitis ab aortæ extremitate initium sumsisse. Quòd verò hinc, & non ab ipso Corde immediatè suum trahant ortum, *Galenus l. c.* ideò fieri dicit, ne sc. in isto longiore ductu pendulæ periclitarentur; præstitit itaque eas ad hypogastricas deduci, quia in isto itinere vesicæ lateribus incumbentes ab omni læsione securæ sunt. Aliam reddit rationem *Harveus* (u), quòd sc. sint vasa minùs principalia, inferioris ordinis atque usûs, ut etiam magnitudinis. Hincque est, quòd idem Auctor (vv) faciliùs sibi persuadeat, arterias has umbilicales *post venas* cognomines demùm *oriri*: cùm vix probabile sit, eas priùs quàm pars corporis (unde oriuntur) constituta sit, existere. Quâ in sententiâ eò magis firmatur, quòd lynceo suo oculo primis mensibus illas reperire non potuerit. Idem prætereà evincere videtur earum *usus*, qui posterior est usu venarum; per has enim reverà movetur alimentarius succus ad cor, antequam arteriæ cum venis concurrant; neque à corde aliquid propelli potest, nisi prius aliquid à corde fuerit admissum, ait *Deusing.* (x) qui adeò nequaquam admittendam esse censet sententiam *Charltonis* (y) contendentis, arterias totas effingi, antequàm exortûs fiat initium: quasi sanguis ipse ad libitum per arterias exspatiatus, cùm nequeat per eosdem canales ad centrum remeare, ob novos fluctus, noviter à

(o) l. c. p. 328.
(p) l. c. p. 107.
(q) de fet. form. p. 1. c. 2.
(r) l. c. p. 374.
(s) l. A. p. 149.
(t) anat. obs. 37.
(u) l. c. p. 377.
(vv) l. c. p. 230. 234.
(x) cur. sec. p. 304.
(y) Exerc. de sanguif

centro

centro affluentes, prioresque à tergo impellentes, in reditu demum sibi ipse novos ductus efformet, venasque effingat, per quas revertatur.

Quid de *insertione arteriarum* tenendum sit, ex iis, quæ de vasis umbilicalibus in genere diximus, haberi potest, meliùs sc. eos facere, qui *terminum ad quem* porriguntur, *placentam* faciunt: licet non omnes arteriæ eò vergant, sed plurimæ *chorion* etiam illustrent, & in eo numerosis radicibus spargantur, uti observavit *Riolanus* (z) & I.Th. *Schenck.* [aa] Tendunt v. ad hosce terminos arteriæ umbilicales, dum à ramis Iliacis ortum trahentes, ad urachi latera sursum porrectæ, umbilicum ingrediuntur, venamque mediam utrinque comitantur, teste *Veslingio l. c. Deusing.* (bb) Immò ultimis suis staminibus venæ huic tàm arctè cohærent, ut ejus propaginum tunicis attexantur planè, vel potiùs in tunicas venarum obscurè repant, & ibidem obliterentur, notante *Harveo* (cc).

(z) l. c. p. 327. 328.
(aa) l. c. p. 120.
(bb) l. A. p. 149.
(cc) l. c. p. 373. & de Circ. sang. Exerc. 1. p. m. 207.

Si *quantitatem* porrò *arteriarum* umbilicalium consideremus, alia est ea in fetu *imperfecto*, alia in *perfecto* & jam formato. Sub initiis enim inconspicuæ sunt, utpote exiles adeò, ut iis inveniendis lynceis oculis opus sit, observante *Harveo* (dd). Crescente v. Embryo, & ipsæ subinde majorem acquirunt quantitatem, suâque semper *longitudine* respondent toti umbilicali funiculo (de cujus quantitate seq. cap.) licet minores *crassitie* sint ipsâ venâ. Pusilli illi arteriarum ramuli, quoniam, quantum saltem oculis constat, non pulsant, idcircò à venis internosci tunc temporis nequeunt: posteà v. non nisi pulsu ab iisdem distinguuntur, auctore *Harveo l. c.* quem *eod.* teste p. 376. non à matris, sed proprii cordis virtute habent, uti rythmus utriusque diversus satis docet. Vt adeò *usus* arteriis hisce à Veterum Anatomicorum plerisque adscribtus, tanquam infirmo nixus fundamento, cadere necesse habeat. Non enim sanguinem & spiritum per arterias uterinas immediatè excipiunt, vel secundùm *Riolanum l. c.* ex eodem in placentam confusè excepto proprium sibique familiarem attrahunt, & ita sanguinem puriorem & spirituosum fetui prospiciunt, qui roboret, vegetet, atque perficiat omnes ejus naturales vitalesque operationes: sed potiùs contrario modo sanguinis arteriosi partem in nutritione fetûs superfluam per Iliacos duos ramos in placentam & Chorion reducunt, *partim* ut ulteriùs ibidem coquatur, & benefica fiat alimentarii à matre affluentis succi in hepate uterino cum residuo sanguine miscella, secundùm *Mœbium* (ee) & *Deusing.*

(dd) de Gen. an. p. 373.
(ee) l. c. p. 564.

(ff) l. A p. 150. *sing.* (ff) *partim* ut extraneis fetûs partibus seu secundinis nutritium humorem advehant, juxta *Back.* (gg) Et hoc quidem tùm nobilissimum *Harvei* inventum, sanguinis circulatio postulat; cujus lege omnis arteria sanguinem à corde abducit; tum fetus ipse, qui propriâ vitâ fruitur, evincit: cum enim sibi ipsi sanguinem præparet, ipse etiam arterias habebit pulsantes ac sanguine & spiritibus plenas, diu antequam conceptus (in quo efformatur & natat) utero alligatur, uti observavit *Nobilissimus Harveus* (hh) Quin immò *Idem* jam extinctâ matre & planè rigidâ, in cæsonibus sæpè reperit arterias umbilicales micantes, fetumque vegetum: qualem, si materno tunc aleretur sanguine, & viveret spiritu, quis sibi fingere posset? Præterea motum hunc à nobis indigitatum alio sat certo experimento probatum dedit *Bartholinus* (ii). Digito namque sæpè turgida vasa pressit, observavitque, facilè adigi sanguinem ex arteria in placentam. Idem in ligaturis manifestum est. Ligatis enim arteriis umbilicalibus fetûs vivi, adhuc matre vivente adhærentis, observavit *Walæus*, immò jam ante Walæum *Galenus* ipse [kk] & post eum alii pulsationem illarum intra ligaturam & fetum, nullum verò pulsum intra ligaturam & uterum matris. Fit hoc propter *valvulas*, quibus arteria dotata est, juxta *Courvæum* (ll) quasque observavit *Hoboken.* (mm) in arteriis radici umbilici adhærere. Vt ita satis falsa appareat Veterum hac de re opinio: quâ vix mitiorem meretur animadversionem alter ille usus à *Fabr. ab Aquapend.* (nn) & *Cornace* ap. Ioh. *Schenk.* (oo) arteriis umbilicalibus adsignatus, *caloris* sc. *conservatio*, quæ fiat *refrigeratione.* Nam ut *Harvei* verbis (pp) utar; si pulsus arteriarum partes corporis refrigerant, & eventant, quî pulmones ipsum cor? quomodo dicunt vulgo arterias, à corde in partes singulas vitalem sanguinem deferre refertissimum spiritibus vitalibus, qui partium calorem foveant, sopitum suscitent, & qs. absumtum resarciant? Quomodo (si ligaveris arterias) statim partes non modò torpent, frigent, & qs. pallidæ cernuntur, sed & ali tandem desinunt; quod secundùm *Galenum* contingit, quia calore, qui per omnes partes supernè à corde confluxerat, privatæ sint. Patet ergò hinc, magis arterias calorem partibus deferre quam refrigerium.

Progredimur ad *venam umbilicalem.* Quam *triplicem* ex uno hepate uterino vidit *Beslerus* [qq]: Multi *duplicem* dicunt cum *Galeno* [rr]: quod inde fit, quia interdum geminata est, & in duos ramos divisa

(gg) l. c. p. 47.
(hh) l. sc. p. 376.
(ii) A. R. p. 200.
(kk) de V. P. l. vii. c. ult.
(ll) p. 3. c. 7. p. 200.
(mm) de anat. secund.
(nn) l. c. p. 52.
(oo) l. 4. obs. 181.
(pp) pro oem. ad Exerc. de motu cord p. 5.
(qq) ap. I. D. Horst. Manud. ad Med. p. 87.
(rr) de dissect. vulv. c. ult. ad fin. & de V. P. l. c.

divisa, uti docet *Bartholinus* (ss). Et duas dici posse antequam per umbilici putamen copulentur, non debet petulantius negari, ait ὁ πάνυ C. *Hofmannus* [tt]. Hinc, exortu retrogrado innumeras propemodum & minutas venulas mutuò semper uniri, & majores subinde fieri, dicit *Aquapend.* [uu], neque cessare mutuam earum coitionem, donec ex omnibus duo magni trunci resultarint, quæ fetûs umbilicum penetrantes, in unicum grandem tandem desinant.

(ss) A. R. p. 199.
(tt) Com. in Gal. xv. de V. P. 4.
(uu) l. c. c. 2

Huc accedit, quòd interdum gemina etiam in hepatis fissuram juxta observationem *Riolani* (vv) insinuatur, vel potiùs ortum inde ducat. Aliàs *unica* tantum est ordinariè, licet, ut arteriæ, ramis surculisque plurimis etiam diremta. Et in hoc, si res ad infantis umbilicum solum spectet, *Galenus* consentit, expressè, ajens, eas in infante coire *unamq;* effici, teste *Commentatore ejus fidelissimo* C. *Hofmanno l. c.* Vnitatis hujus rationem hanc dat *Galenus*; quia vena debebat ferri sublimis, fortior est facta conjunctione duarum, securitatis gratiâ: tum etiam vena uni parti infigi debebat, quod in arteriis non erat necesse.

(vv) l. c. p. 328.

Origine suâ hæc vena arterias prævertit, ut supra diduximus. Et *Riolanus* (xx) venam umbilicalem, etiam *in suo genere*, ortu ac generatione omnium *primam* censet; ab eâque reliquas propagari scribsit etiam *Galenus* [yy]. Verisimilius tamen est, majora primùm vasa, quale in hoc genere vena cava est, oriri, reliquisque demum, ut minoribus, suam dare originem, utpote propiora cordi, primo sui ortûs promocondo. Nisi forsan cum *Barthol.* [zz] velis dicere, primò omnium ante alias venas productam esse nostram hanc, ratione *perfectionis*: quia sc. nutrimentum reliquis subministrare debebat. Aliàs *Galenus ille Altorfinus C. Hofmannus* (a) venas umbilicales demum, cùm instat tempus αὐξήσεως à venâ cavâ produci credit. In hanc enim nostra umbilicalis vena prope dextram cordis auriculam desinit; jecurque permeans in Portam perforatur, nullasque prætereà propagines de se spargit, donec è gibbâ jecoris parte prodeat, orificio satis amplo. Adeò ut apertâ venâ cavâ ab auricula cordis deorsum versus, sanguineque omni depleta, orificia tria qs. simul juncta conspicari liceat: quorum unum venæ cavæ descendentis est introitus; alterum rami jecorarii per totam hepatis gibbam disseminati, exitus; tertium autem *venæ istius* umbilicalis *origo*: uti pulchrè observavit *in hoc negotio curiosissimus Harveus* (b). Vt ergò frustra sint, qui, ut omnium

(xx) l. c. p. 240.
(yy) l. de form. fet. c. 3.
(zz) A. R. p. 198.
(a) l. c. p. 337. a.
(b) l. c. p. 374.

mnium, ita & nostræ venæ originem in hepate quærunt: siquidem tota jecur pertransit, ut oculatissimi observarunt Anatomici. Interdum tamen, quod lusui Naturæ tribuendum est, exortûs principia variant. Ita duo venæ hujus principia, unum sc. à venâ cavâ, alterum à vena portæ observavit *Dominic. Marchette* (c) *Theod. Kerckring.* v. [d] venarum umbilicalium unam ex hepate, alteram ex vena mesaraica prodeuntem vidit. Quod etiam sæpiùs accidisse *Needam* (e) scribit.

(c) anat. c. 8.
(d) anat. obs. 37.
(e) c. 4. de vas. umbilic. p. 105.

Dum v. ita ex hepate per fissuram partis cavæ peculiarem emergit, fertur porrò deorsum, umbilicum versus, inde progressa inter arterias media ascendit varicoso flexu ad secundinas usque, plurimos ramos super chorion spargens: tenuissimis tandem capillamentis in Placenta terminatur, Auctore *Deusingio* [f] immò extremitatibus suis planè ad ora arteriarum uterinarum approximare vult I. Th. *Schenk.* [g] quamvis *Harveus* (h) oculari observatione nixus omne venarum commercium, & cum vasis uterinis anastomosin excludat. Observavit v. *p. 309.* in cervæ fetu in caruncula quasdam, quas cotyledones vel acetabula veterum putat, albâ & mucilaginosâ materiâ refertas, plurimos surculos sive capillares vasorum umbilicalium ramusculos desinere, & extrahi quemadmodum herbas è terra evulsas, radices suæ comitantur. *Quantitatem* ejus quod attinet, *longitudine* toti funiculo respondet; *amplitudine* verò superat arterias, iisque multò laxior est, *Hoboken.* (i) & initio [puta, ut *Riolanus* (k) illud describit, retrogrado à placenta facto] latior, sub finem angustior. A reliquis corporis partibus, quæ primis mensibus omnes albicant, *colore* solæ hæ venæ distinguuntur, *rubicundo* sc. à sanguine quem vehunt, secundùm *Harveum* [l], si quidem vasorum umbilicalium ramulus est illa linea purpurascens, & non potiùs, ut *Deûsing.* (m) censet, colliquamentum ipsum, vi caloris externi agitantis, strias purpurascentes agens, atque ita sanguineum colorem induens. Cæterùm in reliquâ venæ hujus structurâ nequaquam prætereundi sunt *nodi* illi in eâ se exerentes; qui licet à multis ad umbilici totius funiculum, & ab *Hobokeno l. c.* ad arterias referantur, *venæ* tamen huic *proprii* videntur, testibus *Mœb.* (n) I. Th. *Schenck.* (o) *Harveo* [p] &c. Planè quidem à *Veslingio* [q] negantur, contra plurimorum tamen Anatomicorum autopsiam. Nonnullos esse dicit *Bartholin.* (r), eodem tamen numero non semper in omnibus enixis inveniuntur, nec etiam in eadem parturiente, cum sæpiùs jam plures, jam pauciores notentur, auctore

(f) l. A. p. 149.
(g) l. c. p. 119.
(h) l. c. Exerc. 69. p. 309. & 372.
(i) Anat. secund. art 6. §. 2. art. 9. §. 6.
(k) l. c. 329.
(l) l. c. p. 234
(m) cur. sec. p. 290.
(n) fund. Phys. p. 564.
(o) l. c. p. 119.
(p) l. c. p. 375.
(q) Synt. anat. c. 5.
(r) l. c. p. 198.

auctore *Rejes* (s) qui (t) cum *Cardano* (u) dicendum esse censet, fecundos uteros plerumq; plures nodos parere in umbilico, steriles v. paucos, nec ad unguem distinctos: idque ideò, quia cùm majori sanguinis copiâ abundent, ex eo etiam faciliùs concipiant, & ipsi nodi quædam sanguinis ad ipsos confluentis sint receptacula, in quibus magis elaboratur; imò quò plures sint, sanguinis abundantiam denotent, & ad concipiendum & prolem generandam majorem aptitudinem. Putat quidem *P. Pavvius* (v) nodos illos nil n. reduplicationes esse venarum & arteriarum inter se h. e. venas & arterias iis locis convolvi. Meliùs tamen *Deusing* (x) dicit, eosdem varices esse inclusæ venæ, juxta valvulas ejusdem sitas, ac carnosiores quodammodò & protuberantiores membranæ carnosæ in eadem regione partes: consentit *Barthol.* (y) J. Th. *Schenck. Moeb. Harveus l. c. & alii.* Cautum nim. est hac arte à Naturâ, ne confertim sanguis ad fetum refluat, ut cum *Harv.* l. c. sentit *Barthol.* l. c. addens, veluti cochleari ab iis hauriri sanguinem in itinere longiori, paulatimque sisti, ut ita diutiùs elaboretur. Accedit tertius usus, quem præter *Bartholin.* etiam *Riolan.* (z) ei adsignat, nodos sc. hos fortiora reddere vasa, & ad robur distinguere umbilicum, ne in tantâ longitudine ruptioni esset obnoxius. Quid v. de prognosi illâ ex nodis de puerperiis futuris sentiendum sit, Cap. VII. videbimus. Patet hinc hanc venam aut peculiaribus instructam esse *valvulis*, quas prope placentam observavit *Hoboken. l. c.* aut nodulos hos eorum officio fungi, qui prohibeant, ut retrò fluat sanguis: quod confirmat *Excell. Bartholini* observatio (aa): facilè enim sanguinem in venis placentæ contentum digito vel instrumento versus truncum s. funem ipsum adegit: non item versus placentam. Cadit ergò suâ sponte *usus* à *Courvæo* (bb) huic venæ tributus, putat enim expelli per eam à fetu sanguinem jam confectum, & ad placentam ultimis mensibus derivari: quod v. præter dictas valvulas, etiam ipsa communis circulatio, sine quâ cordis motus vigere vel continuari non potest, & ad quam ipse (cc) provocat, infringit. Nec videtur admittenda *Coiteri* sententia (dd), qui, quòd in Virgine dissecta venam umbilicalem sanguine turgidam invenit, putavit factum id esse à Naturâ, ut venis portæ in *sanguinis elaboratione* adjumenti parum afferret; nam præter id, quòd aliquid p. n. ibi adfuerit, etiam hypothesis, quæ venæ portæ sanguificationem tribuit, falsa est. Idem dicendum de eâ opinione, quam dictus Auctor quosdam Anatomicos, qui eadem cum ipso observarint,

(s) l. c. p. 661.
(t) seq. p. 664.
(u) l. 8. de rer. var. c. 44.
(v) obs. anat. 1.
(x) l. A. p. 148.
(y) l. c. p. 199.
(z) l. c. p. 33.
(aa) l. c. p. 196.
(bb) l. c. p. 1. c. 12. p. 55.
(cc) l. c. p. 2. c. 12.
(dd) libell. obs. anat. & chirurg.

 fovere

fovere dicit, quòd sc. *Iecinoris vicem gerat.* Qui v. ideò conditam hanc venam credunt, ut *per illam nutrimentum fetui adducatur*, non ita intelligant necesse est, ac si veherent alimentum jam actu tale, sed succum demum in alimentum verum mutandum. Scilicet umbilicalis vena recipit sanguinem, qui per arterias umbilicales à corde in secundinas effusus, in earum nutrimentum absumtus non est: & cum hoc ipso sanguine alimentarium illum humorem, qui à matre affluens vel in placentâ uterinâ, vel intra conceptûs membranas ambientes continetur, unà devehit ad cor fetûs, ab hoc ipso demum coquendum & elaborandum, atque in ultimum vereque vitale alimentum facultate fetui insitâ, redigendum: Consentientes habeo *Deusing.* (ee) *Harveum* (ff) *Moeb. l.c. Back.* (gg) Quæ de venæ hujus statu p.n. nunc dici possent, reservamus ad Cap. VI. Pedem ulteriùs promoventes ad tertium vasorum umbilicalium genus, *urachum* communiter; *Aëtio* v. *l.c. uragum, urinaculum* Latinè *Fabr. Aquapend.* (hh) dictum, inter magni nominis Auctores tàm quoad existentiam, quàm substantiam & usum maximè controversum. *Negat* omninò urachum aliquem existere in fetu humano *Arantius*, propter exiguitatem, uti vult *Aquapend. l.c.* qui idcircò erroris eum postulat: in quo tamen, si quidem talis dicendus sit, & ipse *Harveus* (ii) sese versari ultro profitetur. Nunquam enim se conspicatum esse urachum testatur. Vidit quidem in ovibus & cervis inter arterias umbilicales quasi vesicæ processum quendam, urinam in se complectentem; non a. qualis urachus ab *Aquapendente* describitur. Similem exiguam eminentiam infra fundum vesicæ observavit *P. Pavvius obs. an. 1.* quæ minimi digiti crassitiem in longitudine non æquabat; urachum v. umbilico affixum nullum. *Rud. Salzmannus, Med. Prof. ap. Argentinenses quondam celeberrimus* (kk) in infante 7. Septimanarum ne vestigium quidem urachi in ipsâ vesicâ invenit. Quod & bis observavit *Hoboken* (ll) *Assertores* v. *urachi* cum *Galeno* definiunt, quòd sit meatus, qui à fundo Vesicæ ipsius exortus, medius incedat inter duas arterias duasque venas umbilicum constituentes, quoad umbilicum prætergressus lotium in tunicam ἀλλαντοειδῆ derivet, si adest, alioquin in chorium eandem urinam transmittit. *Ortum* nim. suum urachus, sicubi adest, ducat à *vesicâ*, & ejus quidem *fundo*. *Aëtius l.c.* eundem principium pelliculæ farciminalis dicit, perforatumque esse ad fundum vesicæ ipsius fetûs; quod quidem de aliis animalibus magis verè, quàm de homine, dictum esse videtur; in hoc enim neque

(ee) l.c. p. 284.
(ff) l.c. p. 252.
(gg) l.c. p. 48.
(hh) l.c. p. 14.
[ii] l. [c. p. 359.
[kk] obs. anat. 10. Sept. 1601.
[ll] l.c. art. 6. §. 1. & art. X. §. 5.

far-

farciminalis illa pellicula datur, neque urachus in fundum vesicæ perforatur, sed à membranis ejusdem tantùm oritur, teste *Deusing.* [mm] & *Riolano* (nn) Fertur hinc inter venam arteriasque umbilicales ad umbilicum, secundùm *Lauremb.* [oo]: in cujus membranâ oblite ratur, teste *de Back. l.c. p.47.* *Quantitas* ergò ejus insignis esse nequit, siquidem *sec. Back. l.c. & Spigelii* (pp) dimensionem, non ultra trium transversorum digitorum longitudinem in adulto supra abdomen excurrit: & juxta *Barthol.* (qq) arteriâ dimidio minor est. Secundùm *Dominic. de Marchette* (rr) ne quidem supra abdomen excurrit, sed intra abdomen fetûs manet. *Substantiam* ejus si consideres, duplici constat, ex *Riolani l.c.* animadversione, interiori *nervosâ*, ab interiori vesicæ tunicâ; exteriori magis *membranosâ*, ab exteriori. Consentit *Deusing.* (ss) Corpusculum nervosum & membranosum vocans. *An v. pervium* sit in humano fetu hoc corpusculum, de eo magna est inter Anatomicos controversia. *Pro affirmativâ* parte stant cum *Galeno Ruff. Ephesius* (tt) *Aëtius l.c. Zac. Lusitan.* (uu) *Aquapend. Vesling. l.c. Spigelius* &c. Et *Laurentius* quidem [xx] hoc probare nititur duobus argumentis; (1) quia alioquin frustraneus esset: (2) quia visa est urina ejecta per umbilicum in adultâ puellâ. Juvit Laurentium *Rodericus à Castro* (yy) addens [3] quod per vesicam nequeat facere urinam fetus, ergò necessariò per urachum: (4) Si sublatis manu vasis umbilicalibus vesica prematur, effluere evidenter per urachum. J. Th. *Schenck.* (zz) porosum quidem etiam dicit, sed addit, quando talis deprehenditur, id potiùs conformationi ejus peculiari adscribendum, quæ licet tractu temporis in ligamenti duritiem abeat, ita tn. occulta secum pororum ista vestigia gestet, ut exigente necessitate reserari, & à sarcinâ aquarum vesicam partesque adnexas liberare valeat. Ejusmodi reserati urachi exemplum habet *Fernelius* [a] & *Bartholinus* (b). Interim non malè facere ait, qui divortium ab *Aquap.* & *Spigel.* facientes, cum *Carpo*, *Arantio*, *Cortesio*, *Riolano* & *aliis* pro funiculo & ligamento habeat Nam teste *Riolano l.c.* id *autopsia* docet, ubi sc. nullâ arte perforatus observari potuit, accedente hinc peritissimorum Anatomicorum consensu, *Fallopii*, *Eustachii*, *Paræi*, *Varolii*, *Th. Bartholini* (c) *Salzmanni l.c.* & 24. *Febr.* 1608. & 9. *Mart.* 1614. *Pavvii* (d) *Lauremberg.* (e) *Bilsii* (f) *Rationibus* etiam demonstrari potest, ordinariè & naturaliter impervium esse urachum. Si namque usus, propter quem secundum affirmantium sententiam perforatus esse debebat, nullus est, & ipsa cavitas nulla erit, Urinam

[mm] l.A. p.151.
[nn] l.c. p. 330.
[oo] l.c. p. 107.
[pp] l.c. c.9
[qq] l.c. p. 204.
[rr] anat. c. 8. p.83.
[ss] l. c. p. 151.
[tt] l.c. L.1 c.37.
[uu] l. c. l. VI. p. 945. c.1.
[xx] l. 1. c. 9. & l. 8. q. 17.
[yy] l.1. de nat. mul. c. 10.
(zz) l.c. p. 121.
(a) l.6. Pathol. c.13.
(b) l. c. p. 205.
(c) cent. 1. hist. 14.
(d) obs. anat. 1.6.17.
(e) l. c. p. 108.
(f) respons. ad Ep. Tob Andreæ p. 7.

v. fetûs, uti putant, per illum non excerni; patet inde, quia vesica quocunque etiam mense grandiusculus dissecatur, urinâ semper plena ac distenta reperitur, uti ex *Everard.* (g) testatur *Blasius* (h) Ut adeò non necesse videatur, urinam à fetu excerni, uti imaginatus sibi est *R. à Castro* in Object. 3. supr. allatâ. Inprimis cùm in utero ob nutrimenti puritatem excrementa paucissima generentur, & vesica urinæ recipiendæ sufficiens videatur, sec. *Varol. & Moeb.* Hinc est quod puer genitus statim urinam & homerdam deponat, Quin & si per urachum urina excerneretur, humor ille, qui inter chorion & amnion continetur, urinæ deberet habere conditiones, quod tn. juxta *Everard. l. c.* non est. Et quis credat, tàm pessimè consultum esse fetui tenerrimo, ut tanto temporis spatio in humore tàm salso & mordaci, vel in edito infante excoriationes causante, detineri cogatur? ut taceam, (quod 4. illam *R. à castro* instantiam infringit) vesicam manu compressam urinam forâs per vesicæ collum, non autem per urachum profundere: quod sæpe se observasse testatur *fidelissimus suarum observationum propalator Harvej.* (i) Et qui quæso liquor ille posset esse fetûs excrementum, cum jam adsit priusquam formetur embryo, nosque ipsi, præeunte *Hodogetâ studiorum nostrorum fidelissimo, Excellentissimo Dn. Præside*, viderimus ejusmodi Embryum, vix fabæ majoris quantitatem excedens, nec ullo adhucdum, quantum nudis oculis observare licuit, sexus signo distinctum, quod tamen tantâ liquoris copiâ erat circumfusum, quæ vel adulto pro una vice per vesicam excernenda sufficeret. Et quod nostram magis confirmat sententiam, prope partum, ubi fetus grandior copiosiori alimento utitur, eoque nomine etiam plus excrementi accumulare deberet, aqua illa minori copiâ cernitur, quam primis prægnationis mensibus, *teste nunquam sine honoris titulo nominando Dn. Harveo l. c.* ut vel hinc pateat, potiùs illam absumi quàm reddi ab embryone. Nec ullius sunt momenti, quæ contra afferre nititur argumenta *Laurentius*: quòd enim dicit, visam esse urinam per umbilicum puellæ excretam, videtur hoc aliis variis factum modis: vel propter urachum p. n. & in casu extremæ necessitatis reseratum, *Bartholino & Blasio l. c.* vel planè non per urachum, sed arteriarum aliquam, quod probabile censet *Doctiss. Lindenus*, teste *Blasio l. c.* vel, ut *Varolio & Riolano l. c.* per venam: quod suis auctoribus relinquimus. Nec idcircò dicendum statim est cum *Laurentio*, frustraneum esse urachum, cùm adhucdum nihilominus celebrem obtineat usum, dum consentientibus omnibus Anatomicis, ligamenti munere fungatur, quo vesica

(g) l. c. p. 186.

(h) in not. ad Vesl. c. 8.

(i) l. c. p. 238.

peri-

peritonæo annectitur & sustinetur, ne quando urinâ distenta est, cervix ejus comprimatur, vel vesica onere pressa labascat. Expeditis his, videbimus porrò, an & alia vasa ad umbilici constitutionem concurrant? *Nervis carere* umbilicum tota ferè Medicorum Schola proclamat; & egregiè de nervorum absentiâ contra varios Anatomicos *Spigel.* (k) disputat, teste *Blasio l. c.* Rationem affert ex *Galeno Aquap.* (l) & *Vesling. l. c.* quod fetui non sit opus nervis & cerebro, quoniam non sentiat, nec moveatur, nec ullam habeat partem, quæ publico fungeretur munere, præter unicas arterias & venas, ad nutritionem & augmentationem necessariò requisitas. Verùm refutatur hæc ratio ab Harveo (m), & falsitatis etiam arguitur ex supra dictis, dum propriâ vitâ fetum vivere, & proprii cordis facultate sanguinem efficere, & distribuere diximus. Quicquid a. sit de hac ratione, sanè si *Riolano l. c.* credimus, *reperitur* in urachi medio *nervulus* candidissimus, quem ab interiori vesicæ tunicâ produci ipse deprehendit; & *Galenum* [n] idipsum obscurè significasse dicit. J. Th. *Schenck.* (o) suum qq. addit calculum, & testatur, accuratiori oculo confirmari; ipsum etiam funiculum satis acutè sentire. Hinc idem hîc evenire putat, quod cum renum nervis, quos antiquitùs nemo eorum substantiam ingredi vidit, hodiè v. vel leviter in profectione versatus, non ignorat. *Summus quondam Medicus Gr. Horstius* [p] umbilici substantiam pari modo *nervosam* vocat. Sed cùm unius aut alterius fide res non solvatur, aliorum adhuc suffragia nobis exspectanda sunt. Pari ratione ἀπέχειν jubemur in asserendis *venis lacteis*, quousque evidentior illarum exortus & via prosurgat. Ad uterum quidem tendere tubulos lacteis similes Deusing. (q) asserit; an v. in ipsum etiam umbilicum, de eo *ib* nihil dicit: In Inst. Anat. verò p. 505. pulchræ cujusdam observationis meminit, quam habuit Anno 1655 dùm per umbilicum catellorum utero contentorum cum vasis umbilicalibus *lacteum ramum* ingredi, manifestè notavit: probabili sanè, ab analogiâ ad fetum humanum, conjecturâ, idem hîc evenire; licet ob succi sui depletionem citiùs forsan dispareant ejusmodi vasa, quam oculis ea assequi concedatur. Etiam *Lymphæ ductus* lacteis analogos in chorio primitùs oriri, ultra chorion v. & amnion non extendi, *persuadent* J. Th. *Schenckio* collectiones *Warthoni* doctissimæ, cùm exiles admodum, quas tn. demonstrare ad oculum nondum potuere. Harum vicem repræsentare ajunt, maculas albas, mucagine plenas, quæ tùm in placentâ, tùm in ipso

(k) l. c. p. 13.
(l) l. c. p. 52.
[m] l. c. p. 376.
(n) In troduct. c. 11.
(o) l. c. p. 119.
[p] append. l. 1. obs. med. p. 91.
[q] de gen. fet. in ut. p. 153.
[r] l. c. p. 120.

ipſo funiculo vaſorum occurrant. Certiora forſan dies docebit. Hæc itaque ſunt vaſa illa, quæ ad umbilicalem noſtrum funiculum conſtituendum concurrunt, quamdiu fetus utero continetur. Quoniam v. quamprimum egreſſus, ſuo hactenus adminiſtrato munere decidunt, ne moleſtiam haud exiguam ex longitudine ſuâ reſultantem homini createrent, ſatius viſum fuit poſt excluſionem ea reſcindere. *Reſectio* v. illa *v. l.* ſtatim poſt excluſionem adminiſtratur, dum ſecundis intus hærentibus adhuc pendulus eſt ex utero materno infans: *vel* differtur, uſque dum fetus cum univerſo ſecundarum appendice fuerit excluſus.

(s) l. 4. c. 7. Pro poſteriori modo pugnat R. *à caſtro* [s], ſed ultra ſex horas non differt. *Bartholinus* v. antiquum dicit, & alienis magis quàm noſtris moribus receptum; hinc & (t) eundem reprobat. Infans enim hac ratione negligitur, ſanguisque liberè in illius detrimentum per vaſa umbilicalia egreditur, præſertim ubi ſequaces non ſunt ſecundæ. Præfert itaque alterum, quo ſtatim reſecatur chorda, & noſtris obſtetricibus in more eſt; Nam manus obſtetricis trahentis id pondus ſpondet, quod adhærens fetus, qui ſine ratione trahit. Tum etiam reſecto umbilico & commodius obſtetrix venatur ſecundas, & tutiùs ipſe fetus procuratur, & ab externis injuriis defenditur: Quòd ſi v. obſtetrix ſit impedita, & manibus adſtantium non ſatis fidimus, ne intrò recedat umbilicus, maximo cum puerperæ malo, femori illius alligari poteſt. Vel denique ſi reſectus ſatis ſit robuſtus, appenſis ponderibus retinetur, ex conſilio *Hippocratis*, ſeu appendicibus ex ſtanno vel pumbo, quemadmodum explicat *Hollerius*. (u) Priusquam v. abſcindatur, vinculo, quod ex ſerico vel linteo vult factum *Ioel* (vv) ſæpius circumducto probè conſtringendus eſt umbilicus; & quidem intervallo ab infantis abdomine duorum vel trium transverſorum digitorum; tùm demum, quod ſupra ligaturam eſt, tribus circiter, juxta *Mœb.* (x), vel, juxta *Aët.* (y) quatuor digitis reſecatur, inſtrumento ad id accommodo, quod *Polluci* ὀμφαλιστὴρ dicitur. Acutum ſcalprum requirit *Aëtius l. c.* aliam enim materiam arundinum vel vitrorum reprobat, ut ne quid atteratur Quæ cùm facta ſunt, curandus eſt umbilicus, donec exſiccatus ſponte ſuâ decidat. Cujus decidentiæ tempora, teſte *Bartholino* (z) incerta ſunt, pro nati conſtitutione & affluentis ſanguinis copiâ: ut plurimùm tamen quarto die labitur, ex obſervatione *Ioelis* & *Aëtii l. c.* Quòd ut feliciùs ſuccedat, quamprimùm ligatus eſt umbilicus, monitore *Aëtio l. c.* contentus in ipſo ſanguis grumoſus exprimatur, puta, ſi validus ſit infans & pletho-

(t) cent. v. hiſt. 39.
(u) comm. in aph. 4.
(vv) Pr. l. 9 ſ. 1. p. 497.
(x) l. c. p. 566.
(y) tetr. 1. ſ. 4. c. 3.
(z) A. R. p. 202.

plethoricus, ut limitat *Schmizius* (aa): secus si macilentus fuerit, & inter angustias hærens difficulter exclusus, & suffocationis metu quasi exanimatus sit, tunc ante ligationem adhuc ex vasis umbilicalibus cum vehementiâ sanguis contentus in corpusculum infantis manu retrudendus est, ut cor affusâ sanguinis portione vires resumat. Expressus sanguis spongiâ detergeatur, ac lanâ carptâ obturetur; postea moderato sale per se tenuissimo conspergatur. Ad præcavendam porrò hæmorrhagiam F. *Hildanus* (bb) vult obstetrices instructas esse seq. pulvere, qui, postquàm abscissa fuerint vasa, illicò inspergendus est: ℞. Aloës, thur. sang. drac. ana ʒj. CC. usti, terræ sigill. farin. volatil. ana ʒij. Pil. lepor. minutiss. incisor. ʒß. M. Post hæc duplicatus umbilicus & lanæ involutus, leniter in medio componatur, posteaque de more infans fasciis involvatur. Cùm deciderit, cochleæ testam ustam tritam loco insperge, aut talum suillum ustum, aut plumbum ustum cum vino illine & obliga, ex præscribto *Aëtii l.c.* Curatus ita, formatus & consolidatus umbilicus robustâ cute inducitur, & in eam denique abit substantiam, ut in adultis videre est. Sensim enim intra abdomen cum suo funiculo vasa umbilicalia, tanquam vieta & emerita exolescunt, & in ligamenta vel tendines degenerant, partium earum quibus inseruntur, uti communi consensu testantur Auctores.

(aa) Comp. Pr. p. 129.

(bb) cent. 1. obs. 52.

CAP. IV.

Situm cum Connexione, quantitatem & figuram monstrabit.

INquirendum nunc ulterius in umbilici *accidentia*. Hæc inter primò *Situs* occurrit, qui alius est in embryo adhuc rudiore, quàm perfectiore. Dùm enim *rudius* est Embryum, umbilicus ab hoc ipso exiens, liquori amnion inter & chorion contento, innatat, ulteriusque paulatim ad membranas ambientes ac Placentam exporrigitur. Eodem v. *perfectiore* supra pectus ordinariè reflectitur, & sinistrorsum circa collum ab occipitio ad frontem producitur, donec plurimis rursus ramis vasorum contentorum per membranas expansas ad ipsam placentam extenditur: quæ communis semper & ordinaria est umbilici flexura; nisi quòd observaverit hoc peculiare *Bartholinus* (cc), quòd interdum in dextrâ cervice incipiens collum ambiat, statimque progrediatur ad placentam:

(cc) l. 1. c. p. 199.

tam: interdum qq. simplici hoc flexu in sinistrâ collum velut torque involvat. Prospexit hac umbilici revolutione embryo Natura, ut caput firmaret & contineret, ne ante perfectam maturationem suo pondere deorsum in utero decumbat, *teste Riolano* (dd). Quòd v. per contenta vasa ipsi etiam utero annectatur, uti scribit *Vesling. l.c.* id, præsertim si immediatam vasorum fetûs & uteri connexionem intelligat, jam supra ex observ. *Harv.* negavimus; negat idem *Deusing.* (ee) cum *Arantio*, *Spigel.* (ff) *Slegel.* (gg). Intra abdomen ratione vasorum suorum diversorum etiam variis partibus cohæret, ratione sc. arteriarum arteriis cruralibus ex aortâ descendentibus, unde commercium cum corde habere creditur *Höfero* (hh) ratione venæ cum hepate, venâ cavâ & portæ; ratione urachi, si adest, cum vesicâ. Connectitur etiam in itinere suo cum peritonæo, à quo involvitur, donec ad superficiem abdominis pervenit; in cujus mediâ residet regione, uti oculis patet. Num v. totius corporis centrum occupet, de eo non omnimodè conveniunt Auctores. *Negat Varro*, (ii) cui potiùs infra umbilicum, per id quo discernitur homo, mas an femina sit, linea ducenda videtur. Ad quem locum *Gothofredus* notat, & A. *Vesalium* (kk) tradidisse, non in umbilico, sed in pubis ossium coalitu corporis humani exquisitum medium esse; contra receptam Veterum auctoritatem: Cum quâ facit Vitruvius (ll) & Galenus. (mm) *Affirmant* etiam ex Recentioribus *Bartholinus* (nn) *Moeb. l.c.* Deusing. (oo) Rationem insuper addit *Lauremberg. l.c.* quia est instar radicis, per quam fetus matri, ut arbor terræ adhæret; per quam etiam fetus alimoniam allicit. Quocirca tantum debebat abesse ab uno extremorum, quantum ab altero: Eâ tn. proportione observatâ, ut notat *Vesling. & Deusing. l.c.* ut gravitas major tributa sit partibus superioribus, quò facilior sit capitis ad uteri orificium inclinatio. Facilis v. videtur hac in re Auctorum conciliatio, si dicamus, *Vesalium* cum asseclis medium quæsivisse in homine pedibus erectis stante, & sic verum obtinere suam sententiam: cùm *Hi* medium in umbilico posuerint, quando homo expansis & brachiis & pedibus vel stet, vel jaceat: tunc enim circinus impositus altero crure umbilico, altero exactè totum circumit hominem, quod cuivis pronum erit tentare. Dicta v. hæc de *Situ* umbilici non sunt extendenda ad bruta; aliàs notabilis est ejus situatio in Apris Brasiliensibus, uti ex Barl. Hist. Brasil. refert *Abr. Seidelius* (pp) ajens: Es ist eine art wilder Schwein in Brasilien/ wie die Europäischen/ werden aber nicht grösser als bey uns

(dd) l.c.p. 332.
(ee) cur. sec. p. 152.
(ff) l.c.p.1. c.3. & p. 2. c.1.
(gg) comm. de sang. mot. p. 98.
(hh) Herc. Med. p. 190.
(ii) de L.L. l.6. p.m. 49
(kk) l.6. de fabr. corp. hum.
(ll) 3. Archit. c.1.
(mm) l.xv. de V.P. & l.xi. de placit. Hippocr. & Platon.
(nn) l. c.p. 198.
(oo) I. A. p. 146.
(pp) Calendar. de A. 1670.

die Frischlinge / haben den Nabel auff dem Rücken / wann man auff denselben Nabel truckt / so gehet Milch darauß / wann man aber hart darauff schlägt / so sterben sie davon. Pervenimus ad *Quantitatem.* De *Discretâ* si quæras, Naturæ lege *unicus* est umbilicus, si unus sit fetus. Interim tn. præter naturæ ordinem in Annâ Vito quodam Italo, & pene qq. & podice privato planè *deerat:* circa cujus tamen locum pila quædam fungosa erat enata, per quam velut spongiam urinam stillando reddidit, uti observavit *Celeb. Bartholinus* (qq) *Continua* v. quantitas *longitudine* admirabilis est, *judice Riolano* (rr), quæ licet in fetu, dum magnitudine muscæ cernitur, recta sit & brevis, indies tn. ad partum usque magis producitur, ita ut in partu extensus umbilicus, nostratis ulnæ longitudinem æquare possit, qualem m. observavit in puellâ recens natâ & occisâ *Barthol.* (ss) & *Pavvius obs. an.* 1. in fetu. *Idem* (tt) in alio, octo digitos longo, umbilicum ad digitos transversos 24. accedentem vidit. In fetu jam ad exitum maturo per spithamarum trium mensuram umbilici longitudinem dimetiuntur *Vesling. l. c.* & *Blasius* [uu] *Barthol.* v. [vv] per ulnæ unius cum dimidiâ. Sæpiùs duas ulnas æquare suâ longitudine, scribit *Laurenb.* [xx] Quin immò ulnarum aliquot communiter esse solet, ait F. *Hildanus* [yy] *Craßitie* v. comparat umbilicum minori digito; sicuti *Vesling. l. c.* digito absolutè. *Causam* hujus prolixitatis hanc dat *Laurenb l. c.* ut eò perfectiùs coquatur sanguis. Alias addit *Deusing.* [zz] ne sc. motu fetûs ac contorsione abrumpatur umbilicus, vel placenta divellatur; possitque fetus tempore partûs cum minori impedimento & alternatim in lucem prodire, quod minùs commodè fieret, si brevi funiculo hepati uterino sæpè firmiùs hærenti, esset adnexus. Accedit, quòd ad secundarum extractionem mirè conferat hæc longitudo, ut patet ex *Hippocr. l. de superfet.* Quòd v. longior sit umbilicus in homine & aliis animalibus, unicum tantum fetum in utero gestantibus, quàm in animalibus quæ plures edunt, ideò fieri putat cum *Aquap.* [a] *Blasius* [b], quia quæ plures fetus concipiunt, in iis necessarium est, ut moles carnea utero non solùm, sed & unicuique fetui vicina sit, quò sic locus sufficiens omnibus detur, & ideò vasa hæc brevissima natura construxit: in aliis contra, quæ singulari fetu gaudent, eadem moles utero adhæret, sicque à fetu ipso quàm remotissimè abest, hîc ergò opus rursus fuit, vasa longissima fieri. *Craßitiei* v. ratio ea videtur *Deusing.* (c) ne comprimantur vasa, impediaturque sanguinis alteriusque succi transitus. In *adulto* homine exigua est umbilici quantitas, uti patet; potest tn. propter superinductam cutim p. n. in

(qq) cent. 1. h. 65. & A. R. p. 205.
(rr) l. c. p. 330.
(ss) cent. 1. h. 14. p. 27.
(tt) obs. 6. p. 13.
(uu) An. contr. p. 238.
(vv) A. R. p. 201.
(xx) l. c. p. 309.
(yy) cent. 2. obs. 50. p. 210.
(zz) cur. sec. p. 307.
(a) l. c. p. 55
(b) in not. ad Vesling c. 8.
(c) l. A. p. 147.

immen-

immensum sæpiùs dilatari. Ut ex cap. VI. patebit. *Figura* adeò notabilis est, in fetu præsertim, ut totus umbilicus inde, quod supra *pag. 6.* videre est, nomina acceperit. Ad mollem v. vasorum inclusorum flexum formatus, non simplex est, sed *tortuosus & inæqualis*: ita ut trunci venarum & arteriarum postquam ad trium quatuorve digitorum spatium digressi sunt ab abdomine, inter se egregiè contorqueantur; ordinatâ tn. ut plurimùm circumvolutione, quemadmodum funiculus major è minoribus circumgyratis oritur, *teste Blasio l. c. Bartholinus l. c.* strias monocerotis nostri æmulâ similitudine referre dicit, quod opposito lumine facilè videamus. *Aquap.* (d) & *Harveus* (e) cereis funis instar intortis comparant. Inæqualitatem hanc adaugent nodi illi, de quib. supr. Fit hac ratione, ne vasa invicem implicentur, nec sanguinis vel chymi per ipsa impediatur motus: nam unumquodque vas circumgyratum servat nihilominùs cursum suum. Tùm m. sensim sine suffocationis metu debitum sibi sic recipit embryo: paulatimque alimentum depuratur, *sec. Barthol l. c.* Qui & illud notandum hîc nobis exhibet, spithamæ sc. à conjunctione distantiâ mirabilem texturam apparere, asperioremque contorsionem, & velut confusionem: In exteriori deinde tunicâ intestinuli infinitas secundum longitudinem incisuras conspici, de foris sanguine tinctas, quales in cerebello videre est. Tandem etiam transparere in venâ maculas, à sanguine transparente per tunicam tenuiorem. Ob quam *livescere* dicuntur *Deusing.* (f) & *colorem ex albo cæruleum habere Blasio*, (g) *varium Lauremb.* (h) ita ut interdum niger, aliàs pallidus, fuscus, ruber, appareat. Cùm jam resciffus est post partum umbilicus, aliam formam induit, & parum prominulus & hiulcus cernitur, ut teste J. Th. *Schenck.* (i) umboni similis sit, unde & nomen.

(d) l. c. p. 5.
(e) l. c. p. 374.
(f) l. c. p. 148.
(g) An. contr. p. 238.
(h) l. c. p. 102.
(i) l. c. p. 139.

CAP. V.

Usum Physiologicum explicat.

Restat ut in umbilici *usus* penitiùs nos immittamus, quos ex se largiter in omnes Artis partes distribuit: *Physiologicus* cùm jam suus cuique vasi proprius ubique sit additus in præcedentibus, paucis hîc erit expediendus. Præcipuus, & cujus gratiâ primariò à Naturâ conditus videtur umbilicus, est, ut sanguinem cum reliquo succo nutritio, intra membranas contento, perpetuo circulari motu, non per venas solùm ad fetûs cor advehat, & ab eodem in placentam per arterias depellat; sed & in tortuoso suo flexu, nodis & longo itinere magis commisceat,

per-

perficiat, & adjuvante, *juxta Deusing.* (k) particularum sui ipsius motu, & calore à matre communicato idoneum reddat, ut exinde ritè & nutriantur & augeantur partes tàm intra quàm extra embryum sitæ: Quicquid contra, sine sufficienti fundamento inferat *Courvaus.* (l) Rationes enim, quibus probare nititur fetum per umbilicum omninò non nutriri, & neque per venas neque per arterias ad fetum aliquid advehi, sed potiùs à fetu expelli; sufficienter refelluntur ab *acutissimo Deusing.* (m) Sicut & ipsum officium, quod ipse tq. primum ac præcipuum umbilico adscribit, *spirare sc. per illum cor, fundereque humorem in conceptu contentum.* Largimur autem lubentes, non omnem nutritii succi admissionem fieri per umbilicum, sed partim etiam per juxtapositionem sive habitum corporis, *juxta Courvaum l. c.* & *Deusing.* (n) partim per ipsum os, in embryo nim. grandiore, *juxta Hippocr. Democrit. Epicur. Deusing.* [o] *Harveum* (p) *Back.* (q) Tamen tq. secundarium, usum refrigeratorium, & aëris attractionem per arterias umbilicales tolerari posse putat J. Th. *Schenck.* [r] quod ipsi probandum relinquimus. Pro secundario usu v. admittimus, quòd per eum fetus suspendatur, quò in omnem partem se movere possit, ratione longitudinis liberiorem exitum, ratione crassitiei vasorum tutelam efficeret. Satis generalis & ille usus est, à *Deusing.* (s) notatus, quo pro ductu involvente sumtus vasa à fetu ad uterum maternum surgentia complectitur, singulaque distinguit. Usum v. umbilici in *adulto* ordinariè nullum esse, ait J. Th. *Schenck.* (t) ns. velis, ut suspensum fortiter gerat hepar. Tandem commune est omnibus, *judice Benivenio* ap. *Ioh. Schenck.* [u] ad decorem umbilicum prominere.

(k) cur. sec p. 293.
(l) Paradox. p. 1. c. 12. p. 55.
(m) l. c. p. 288. seqq.
(n) l. c. sect. 2.
(o) l. c. sect. 4.
(p) l. c. p. 248.
(q) l. c. p. 49. & 87.
(r) l. c. p. 123.
(s) l. A. p. 146.
(t) l. c. p. 78
(u) obs. p. 2. l. 3. p. 616

CAP. VI.

Affectus p. n. exponet.

PAthologiam odoriamur, & videbimus sedem præbere nostram partem tam causis morbi, quàm morbis ipsis, & eorum Symptomatibus. *Causam* morbi *propinquiorem* subministrant humores, præcipuè serosi & acres, ac flatus p. n. non rarò ibidem collecti. Inter *remotiores p. n.* referendi sunt *Vermes*, quos nidos suos struxisse in umbilico cum gravissimis sæpè symptomatibus experientia satis testatur: & observarunt ejusmodi *Salmuth.* (v) *Forestus* (x) *I. Baptist. Caballaria*, teste *Omnibono* (y) ipse m. *Hippocr.* (z) Similia annotarunt Nic. *Florentinus* (aa) & *Hollerius* (bb) it. *Zac. Lusitan.* (cc) Inprimis tamen infestant ingrati isti hospites *Infantum* umbilicos, ut valdè hinc extenuentur & tabescant, teste *Hier. Reusnero obs. med. 97.* curâ *Doctissimi Augustanorum Medici Dn. D.* G. H.

(v) cent. 2. obs. 61.
(x) l. 7. schol. ad obs. 35.
(y) l. 4. c. 13. art. Med. in fant.
(z) 7. Epid. t. 105.
(aa) serm. 5. tr. 8. c. 54.
(bb) l. 1. c. 58. de morb. int.
(cc) l. 2. prax. adm. obs. 40.

G.H.*Velschii* edit. Addit v. plurimos feliciter curatos à *D. Frid. Oleviano*, applicando umbilico aut fundulum piscem, aut ranam vivam. Hac enim ratione vermem extrahi brevi temporis spatio. Per fundulum m. utrum in infantis umbilico vermis aliquis lateat, explorare jubet *Illustris Sennertus*, [dd] qui si depascatur, signum est latitantis vermiculi, & puerum occultè torquentis. Is autem vermis, ait, tam se insinuat umbilico, ut manibus extrahi non possit, necatur tamen apposito vitro veneto pulverisato in putamine dimidiæ nucis juglandis. Primo hoc hoste debellato, alterum aggredimur, qui *calculis* s. lapidibus vel tophis nostrum petit umbilicum, in quo si reperiuntur inibi generati, affectus *Poromphalos* dicitur, *teste Auctore lib. definit.* Vidit ejusmodi lapides in umbilico *Columbus* (ee), & genitos ibi lapillos reperit *Folius*, teste *Barthol.* [ff] Testantur etiam ejusmodi repertos *Dan. Becker.* (gg) & *Marc. Donatus* [hh]. Nec lapides solùm, sed & *ossicula*, quod mirum est, in ventre parte molli, & omni osse destitutâ reperta & excreta per umbilicum observarunt Auctores. Quale ossiculum tenue, oblongum, ad latitudinem duorum ferè digitorum excretum vidit *P. Forestus l. c.* Observandum v. est, plerumque ejusmodi ossicula, si excluduntur, excludi per mulierum, quæ fetum mortuum utero gerunt, umbilicos: qualia fetûs mortui ossicula post sponte rejecta aliquot, per mulieris umbilicum se exemisse, illamque diu superstitem vixisse, testatur *Albucasis* (ii) ap. *Ioh. Schenck.* qui similes ferè historias habet (kk). Cum omnibus v. his enumeratis morborum causis p. n. præter ingentes dolores plerumque exulcerationes umbilici sunt conjunctæ.

Ad *morbos* ipsos dum jam pervenimus, observamus & intemperiei morbis, & organicis & solutæ unitatis miserum umbilicum affligi. *Intemperiei* morbus notabilis est ejusdem *inflammatio*, ὀμφαλȣ̃ φλεγμονή, quæ fervida centri abdominis intumescentia *immediatè* provenit ab impedito sanguinis affluentis transitu, moramque longiorem ibidem nectentis. Qui sanguis, si ad *mediatas remotiores* causas transire velimus eò concurrit *vel* ob læsionem ab aëre externo, uti vult *Magnificus Ionston* (ll) *vel* ex dolore, tunc temporis potissimùm, cùm obstetrices imprudentes fuerunt in administrandâ umbilici sectione. Hippocrate teste [mm]. Indicat ergò affectus hic sanguini liberum esse reconciliandum transitum, affluxum reprimendum, fervorem restringendum, & impetum aliorsum cogendum. Commodissimi huic fini sacculi ex fl. Sambuc. melilot. chamæm. & nitro parati. Si *dolor* adest ingens, applicari potest ex vitello ovi tàm crudo quàm cocto cum nitro paratum empl.

dolo-

(dd) l. 3. pr. f. 984.
(ee) l. 15. Anat.
(ff) A. R. p. 204.
(gg) l. 1. med. microc. c. 15.
(hh) l. IV. c. 30. ap. Sennert. Pr. l. 3. p. 10 c. 4.
(ii) l. 2. c. 76. Chirurg.
(kk) l. 4. obs. 178. p. 410. 412. Vid. etiam Bartholin de insol. part. hum. viis.
(ll) Id Med Pr. l. 12. t. p. 745.
(mm) 24. aph. s. 3.

doloris enim vehementiam demulcet, & fervorem nimium extrahit. Dandæ qq. infantibus emulsiones (nauseant enim præter pulticulam & lac ferè omne) ex sem. 4. frig. maj. cum tantillo papav. alb. parandæ, ut sanguinis fervor temperetur, ac somnus concilietur, & quidem cum decoct. CC. aut rad. Scorzon. malv. gram. lacteus enim & ferè insipidus plantarum harum succus decoctum suave affert. Pulveres qq de marg. ppt. lap. cancr. ppt. exhiberi possunt, ut hac ratione lactis qq. concretio in ventriculo prohibeatur, præsertim si matris constitutio minùs fuerit salubris. *Experientiss. Gr. Horst.* (nn) cum Höfero (oo) suadent, dum recens est malum, in unguendum puero exterius ol. rosar cum ol. lumbric. permistum, donec inflammatio remittat, ubi chamæmelinum, ac tandem m. anethin. discutiendi gratiâ addatur. Mastix pulverif. & cum album. ov. Empl. formâ umbilico imposita pro ulteriori exsiccatione materiæ commodè interdum præscribitur; Nutricis interim diætâ ad frigidum & humidum inclinante. Suppuratio enim, quantum fieri potest, prohibenda est, monente *Excell. Ionston. l. c.* Periculosa namque est hæc inflammatio, si in abscessum mutetur, eoque rupto intestina procidant, uti prædicit *modo laudatus Ionst. l. c.* Si *organicos* porrò quæras in umbilico *morbos*, non rarò *mala* se offeret *conformatio* in venarum arteriarumque umbilicalium *cavitatibus*. Hæ enim postquam defunctæ primario suo post partum officio, debebant esse firmiter occlusæ, atque ligamentorum instar coalitæ, p. n. sæpiùs reserantur, & hiant ob acres salsosque humores eò penetrantes: unde miranda illa excretorum symptomata, de quibus suo post loco. Nisi ergò conducat, ex singulari Naturæ instituto, per reseratas illas vias excerni superfluos & noxios in corpore humores, acris illa salsedo lenientibus sedanda, adstringentibus deinde cavitas illa p. n. rursus constipanda. Magis tamen conspiciendum sese effert in umbilico *morbus auctæ magnitudinis*; diciturque prominentia, dilatatio, excrescentia, egressio, procidentia, intumescentia, tumor, protuberantia, extuberantia umbilici; hernia umbilicalis, Gr. ὀμφαλοκήλη, ἐξόμφαλος, ἐξόμφαλον πάθος &c. quo ἐξομφάλων nomine, si *Corvino l. c.* credimus, etiam ipsi hoc morbo affecti salutantur. Herniis affinis est hic affectus, ait *Primeros.* (pp) eoque nomine etiam inter *ramicum* species numerari dicit *Ioël* (qq). Ab umbilici v. inflammatione eò discernitur *Ionston* (rr) quòd umbilicus tactui cedat, color cutis non mutetur, nec pulsus vel dolor, nisi intestina valdè prolabsa sint, adsit: *Celsus* (ss) putat quidem commune *omnibus* esse, ut indecorè promineat umbilicus; Exempla tn. cum *Primerosio l. c.* testantur, *maximè* fami-

(nn) append. l. 1. p. 2. q. 8. p. 91.
(oo) H. M. l. VII. p. 345.
(pp) Enchir. Med. Pr. p. 2. 278
(qq) Pr. l. IX. f. IV. p. 526.
(rr) l. c. l. XII. t. 3. p. 746.
(ss) de re Med. l. VII. c. 14.

liarem esse hunc morbum *feminis utero gerentibus*, & *infantibus*. Quod propter varias accidere potest *causas*, inter *remotiores* v. in *illis* plerumque est partus laboriosus, ut inde Th. *Bartholin.* (tt) Omphaloceles communi parturientium malo satis innotuisse dicat: in *his* ploratus, malè ligatus umbilicus, tussis: in *utrisque* e. percussio, vociferatio, risus immodicus, saltus, ponderis gravioris elevatio, equitatio, tubarum inflatio, aliusque conatus nimius abdomen distendens. Immò *supra naturale* quid interdum in causâ est, quale exemplum narrat πολυίςωρ *Medicus Barthol* (uu) de tribus Pastoris cujusdam infantibus, quorum umbilici, relictis papillis, alexipharmacis & amaris illitis, à Suctore quodam nocturno, Caprimulgo aliis dicto, tàm vehementi suctione atterebantur, ut non tantùm manifestè prominerent, sed & oris sugentis magnitudinem, impresso velut vestigio monstrarent. *Proqinquiores causæ* faciunt, ut & variæ inde resultent prominentiarum *differentiæ*; hinc *Primerosio l.c.* teste, quæ ab *aquâ* oritur, *Hydromphalos* dicitur; quæ à *flatibus*, *Pneumatomphalos*; quæ ab *intestinorum prolabsu*, *Enteromphalos*; quæ ab *omenti procidentiâ*, *Epiplomphalos*; quæ tandem à *carne increscente*, *Sarcomphalos* dicitur: His addi potest, quæ à *sanguine fluido* ibidem collecto oritur, *Hæmatomphalos*. Ut in genere aliquid de *Prognosi* dicamus, levibus tumoribus, *Celso l.c. judice*, facilè subvenitur; at in eorum, qui nimis magni sunt, curatione, periculum est: adeò ut *Joël* (vv) dicat, quòd diuturnus umbilici prolabsus, quando sine dolore ad magnitudinem capitis infantis procrevit, frustra repelli tentetur, & sine curatione per totam vitam geretur. Communiter m. infantum hac in parte eminentiæ faciliorem admittunt medelam, quàm adultorum, inprimis si gravia in his subsequantur symptomata, qualia sunt colicæ & iliacæ passiones, vomitiones, tabes &c. Ita in innumeris ferè pueris curata umbilici eminentia & crassities catapl. ex saniculâ in vino coctâ, umbilico impositâ cum ligatione strictiori: & rad. consolid. maj. contusâ, dorso è regione umbilici admotâ, uti testatur *Achilles Gasserus Obs. 93. ap. supr. laudatum G. H. Velschium*: ap. *Eundem* H. *Reusnerus obs. 96.* H. & rad. Sanic. in aquâ solùm coctam calidè imposuit pueri cujusdam exomphalo, & mox sanatus est. Filiola v. ejus eodem umbilici exitu cum inflammatione & humiditate afflicta, seq. pulv. inspersio convaluit. ℞. bol. or. ver. ℥j. myrrhæ ℈ij. pompholyg. ʒß. F. pulv. cujus pulv. usum eò feliciorem censet *Excell. Velschius*, si pulvilli & globuli umbilicales simul adhibeantur: & præstare, ait Joël (xx) intra corpus infantulo exhibere ℈j. pulv. rad. scrophular. cum lacte; Plurimum etiam conferre, si ar-

(tt) cent. 2. hist. 95.

(uu) cent. 1. hist. 2.

(vv) l.c. p. 526.

(xx) l.c. p. 514.

si arnoglossa & muscus pruni sylvestr. simul in vino cocta & contusa instar cataplasmatis umbilico imponatur, quem muscum etiam commendat *Ionst.l.c. Forestus* rotulas è corio confectas, & oxycroceo inunctas laudat. Promiscuè etiam in hac *J. Langius V. Palatinorum Electorum Serenissimorum Archiater* efficax prædicat seq. empl. ℞. pic. græc. ℥ij. coloph. resin. ana ℥j. mumiæ ʒiij. tragacanti, gumm. arab. sang. drac. mastic. balaust. ana ʒij. aloës epat. ʒiiß. oliban. ℥ß. glut. pisc. ʒiij. F. s.a. Empl. Sed cùm diversæ herniarum umbilicalium species etiam diversas agnoscant causas, pro singularum qq. indicationibus diversæ requiruntur curationes: Propiùs ergò ut ad species accedamus, necesse est. *Hydromphalos* itaque fit ab aquâ inter peritonæum & abdominis cutem, inque Hydropicis ut plurimùm evenit: exemplum habet ex *Amat. Lusit.* (yy) *Joh. Schenck*: (zz) item *Fabr. Hildanus*, (a) & *Zacut. Lusit.* (b) Putat quidem Joël [c] urachi amplitudinem, & malam colligationem in hoc affectu etiam aliquam causæ rationem habere: verùm superiùs allata αὐτοπτῶν testimonia ligamentum hoc in homine pervium negantia, id non videntur admittere. *Cognoscitur*; & à reliquis distinguitur *sec. Celsum l.c.* in eo, si pressus humor circumfluat; vel *sec. P. Aeginetam* (d) si mollis quidem tumor est, sed ad compressionem non cedit, neque minuitur, neque augescit: superaddit hisce signis *Ionston.* (e) quòd tumor laxus sit, & candelâ appositâ limpidus & perspicuus appareat. In *curatione* intumescentiæ hujus locum habent Exsiccantia & Discutientia; his non succedentibus lunata sectio, ait *Ionst.l.c.* Joël v. (f) suadet imponendum catapl. ex pulv. Spicæ Celtic. & tereb. q. s. cui pauxillum ol. amygd. est admixtum; quibus utiliter pulv. linei panni adusti admisceri potest. Aut conficiatur sacculus ex spic. celt. & cymin. qui in vino rubro ebulliat, & expressus tumenti umbilico imponatur. Potest huc commodè referri, cùm etiam ab humore oriatur, tumor umbilici ex sanguine, *Hæmatomphalo* forsan dicendus, qualem observavit *Coiter* (g) dùm in Virgine quadam 35. annorum mortuâ sectâ observavit extensam ac sanguine turgidam venam umbilicalem in quibusdam locis, ubi hæc vena contorquebatur instar varicum tuberosa. Tales dari tumores testatur *Aegineta l.c.* ob venæ aut (quod malim) arteriæ ruptionem, velut in arteriæ dilatatione. *Cognoscitur* v. si præter prædicta signa, tumor m. lividior fuerit, *teste eod.* ubi v. *incurabilem* ducit, si ex arteriæ fuerit dilatatione: vix consentio. Pergimus ad *Pneumatomphalon* seu flatulentam umbilici egressionem: *Cognoscitur* facilè, cùm advertente *Celso l.c.* spiritus pressus cedit, sed protinùs redit:

(yy) cent. 5. curat. 37.
(zz) l. 3. obs. 147.
(a) cent. 1. obs. 47.
(b) l.c.l. 2. obs. 24.
(c) l. c. p. 516.
(d) de re med. l. VI. c. 51.
(e) l. c. l. x. l. 13.
(f) l. c. p. 514.
(g) in libel. obs. Anat. & Chirurg.

resu-

resupinato qq. corpore tumorem in eadem figurâ tenet. *Aegineta l. c.* inde vult cognosci, si mollities ad tactum adest, & sonitus quidam sequitur ad pulsationem, & disparet ad compressionem. Medicinam non admittere dixit *Celsus l. c.* proptereaque cum priori repudiavit *Aegineta l. c. Ionston.* v *l. c.* tùm demùm difficulter curabilem censet, quando causam in visceribus latentem & foventem habeat, Aliàs, *eodem judice*, in infantibus facilè discutientibus tollitur. Cavendum hîc inprimis à flatulentis cibis, tussi, fletu. Et si hinc suam traxerit originem illa prominentia, *suasore Ioële l. c.* præstat hoc Empl. imponere: ℞. Sem. cymin. lupin. & baccar. laur. a. p. æ. pulverif. cum vino rubro ad pultis formam decoquantur, F. Catapl. Vel seq. & in aquoso & flatulento tumore utile: ℞. Gumm. Ammon. ℥ij. resolvantur in vino austero in pultis formam, quibus admisce pulv. tenuiss. cymin. ppt. q. s. ut empl. formam acquirat. Notissima ferè species est *Enteromphalos*, quod malum *Magno Sennerto* (h) *teste*, propriè *exomphalon & Omphalocele, Ioëli l. c.* ramex dicitur, ubi sc. ex laxato vel rupto peritonæo intestina in umbilicum prolabuntur. Mirandus fuit Enteromphalos ille, quem ex D. D. *Tob. Cneulino* describit *J. Schenck.* (i) Præter *Signa* proposita à *Celso* & *Aegineta l. c.* addunt *Ionston.* (k) & *Ioël*; (l) *ille* quod ad supinum ægri decubitum cum strepitu & rugitu regrediantur; *Hic*, quòd cum tumore etiam dolor adsit. *Lethalis* nonnunquam evadit, propter gravissima symptomata, ut vidit *Doctiss. Hobokenus* (m), Aliam historiam è *Marc. Donato* (n) nectit *J. Schenck.* (o) Magna v. in curatione diligentia est adhibenda; nec temere statim aperiri debet protuberantia, facta enim apertione prodeunt & effunduntur intestina, maximo sæpè cum ægri malo, quemadmodum in multis se observasse dicit *Pareus* (p) Advertente v. *Ionstono*, duo potissimùm exiguntur, 1. intestinorum in suum locum repositio. 2. Peritonæi laxati adstrictio, rupti consolidatio. *Repositio* fieri potest, post manum adhibitam, Empl. adstringentibus stypticis, quibus superimponi potest sacculus, ut intestina prohibeat, ne foràs vergant, it: ex pulv. adstringentibus: qui sacculus rursus fasciâ latâ firmandus est. Huc facit Empl. contra Hernias dictum, vel ex pelle arietis. Eandem hîc, quam in scroti herniis curam adhibendam censet *Ioël. l. c.* quam ferè Emplastris & potionibus adstringentibus & conglutinantibus absolvit, uti videre est *l. c. p. 525.* Vicinum huic est malum *epiplomphalos* s. omentalis hernia; cujus exemplum notatu dignum narrat *F. Hildanus*, [q] ubi mulier ex difficili partu exomphalon contraxit, qui successu temporis ad magnitudinem uteri, qui fetum maturum gestat,

(h) de inf. cur. p. 2. c. 25. p. 80.
[i] l. 4. obs. 167.
[k] l. c. p. 723.
[l] l. c. p. 526.
[m] Spicileg. Epist. p. 240.
[n] Hist. mirab. l. 4. c. 3.
[o] l. 3. obs. 359.
[p] l. 23. c. 66.
[q] cent. 3. obs. 63.

ſtat, excrevit: ventre nihilominus ſuam ſervante proportionem. *Omentum* v. hîc prolabſum, & ſenſim in tantam molem exauctum ipſi perſuaſerunt *ſigna diagnoſtica* hujus tumoris, absq; dolore enim tactuque mollis, & undique æqualis erat, à naturali colore non diſcrepabat, murmur nullum perſentiebatur, uti fit in herniâ inteſtinali: in ventrem retrocedebat nunquam, etiamſi alvum exoneraret, vel in dorſum ægra decumberet, ſed ſemper in eodem permanebat ſtatu. Similia huic cum præcedenti vult eſſe ſigna *Celſus l.c.* ns. quòd mollior hic ſit tumor, ab imâ parte latus, extenuatus in verticem: ſi quis apprehendit, elabatur. Hinc & eandem cum præcedenti requirit *curam*: cùm & ſimiles adſint cauſæ: in corpore v. molliore & juvenili facilior eſt. *Mixtus* non raro eſt ἐπιπλόμφαλος cum ἐντερομφάλῳ, & tunc qq. mixta adſunt indicia, qualem in Nobiliſs. Matronâ vidit F. *Hildanus* (r) quem contraxit in difficili partu. Non ſolum autem omentum, ſed & inteſtinum in eo contentum eſſe, colligebat ex murmure, quod aliquando in ipſo percipiebatur, & tunc qq. dolor adfuit, nunc vehemens, nunc rurſus remiſſior, pro flatuum copiâ. Cæterum, quia hujusmodi procidentiæ umbilici raro in ventrem retrudi poſſunt, aut ſi retruduntur, difficulter tamen retinentur, maximasq; moleſtias ægris pariunt, dum propter pondus ſuperiores partes ſecum deorſum trahunt; faſciam quandam ſacculatam excogitavit *modò dictus Nobiliſs. Medico-Chirurgus*, quâ extuberantia illa tàm commodè ſurſum retrahitur, atq; ſublevatur, ut nullam ferè moleſtiam pariat, quam (s) deſcribtam & ligno expreſſam videbis. Reſtat adhuc unica expedienda ſpecies, quam *Sarcomphalon Primeroſ. l.c. Carnoſam Ionſt. l.c.* vocat, ſive caro ſit propriè dicta, ſ. fungoſa, ſ. deniq; carcinomati ſimilis, perinde eſt. Ejusmodi umbilicum quatuor digitis ad penis longitudinem prolongatum in puero octimeſtri vidit *Benivenius* (t). Facilè à reliquis diſtinguitur; nam tumor durus eſt, nec preſſus cedit, & ad nullum decubitûs modum mutatur, uti obſervant *Celſus, Aegineta, Ionſtonus*. *Fungus* v. cùm extra cutim ſeſe nudum noſtris oculis objiciat, primo mox intuitu cognoſcitur. Raram & admiratione dignam ejusmodi tricipitem fungoſam excreſcentiam *Fabr. Hildanus* notavit (u). *Ligatione* curabat *Benivenius* modò dictum Sarcomphalon, dum carnem vinxit, ſingulisq; diebus arctiùs deligans, non priùs deſtitit, quam ea ipſa præmortua penitùs excidiſſet. Humorum ſiquidem affluxus hac ratione intercipiebatur. Idem fecit *Hildanus* in fungo illo triplici, adhibitis qq. anodynis, & decocto adſtringente exterius; tandemq; inſperſit pro pleniore curâ pulverem. Quòd ſi non ſufficiat hoc præſidium, removetur per *cauſtica*: Cùm v. tenella ætas *actualia* non admittat, *potentialibus* exſtirpabitur. Sufficiet hunc in finem bol. Armen. cum alum. uſto. Poſſunt & alia medicamenta, quæ vaſa conſolidant, adhiberi. Feliciter qq. *ſectione* removeri poterit, quâ factâ, cauterium adhiberi vel actuale vel potentiale. *Carcinoma* v. malum incurabile eſt *Ionſton.* (v) In *Genere* autem de curatione omnium hactenus explicatarum umbilici protuberantiarum notandum, quòd tùm demum ſit adhibenda inciſio, ſuaſore Ionſtono (x), cùm alia nihil juvant. Probè v. quædam conſideranda, quæ proponit *Celſus*, priusquàm adminiſtratur. Poſt hæc quomodo ipſa peragi debeat ſectio, fuſius proſequuntur *Aeginet.* & *Celſus l.c.* quos adi ſis. Iam ut *Solutam* ſolveremus *unitatem* neceſſum foret, ns. mali gravitas non raro obſtaret, quò id minùs effici queat. *Ruptura* namque, *Vulnera, ulcera, & Contuſiones*, quæ hac in parte occurrunt, valde *periculoſa* cenſentur Auctoribus, quibus experientia ſuccurrit. In utero ſi *rumpantur* vaſa umbilicalia, certa mors imminet, ob denegatam per illa ſucci nutritii vectionem: hinc abortum fieri notavit C. *Bauhinus* (y). Rurſus quamprimum fetus ab uteri clauſtris prodit, & vaſa adhuc hærentia rumpuntur, utrinq; & à parte matris, & à parte fetûs ſubo-

(r) l.c. obſ. 64.

(s) l. c. p. m. 451.

(t) c. 6. de abditis.

(u) cent. 5. obſ. 62.

(v) l. c. p. 724.

(x) l. c. p. 723.

(y) in Epiſt ad F. Hildan. cent. 2. obſ. 50. & tab. anat. 33. l. 1. fig. 2.

ſuboritur magnum periculum; *ibi*, ne retrocedant cum ſecundinis, magno cum puerperæ malo, ſi non brevi tempore prudenti manu reducantur: *hîc* cum vitæ diſpendio, niſi citò ligentur, ut ſæpè viſum, teſte *Varandæo*, (z) vel ſi planè evellantur imprudenter, quod obſtetrici illi, de quâ *Salmuth*, (aa) evenit. An v. in extractione ſecundinarum retentarum, etiam *puerperæ* umbilicus rumpatur, ſubitamq; mortem afferat? Bartholino (bb) eſt imperita dubitatio. Si enim in partu vero ruptus non fuit, tenſo abdomine, vanus erit hîc metus; nec à manu obſtetricis periculum, quia extra uteri regionem, ſub peritonæo ad hepar progreditur. Si de *Prognoſi* rupturarum umbilici *in adultis* quæras, Barthol. l. c. falſum eſſe ait, rupto umbilico mortem inſtare repentinam; & ad Proſectorum obſervationes, quæ id refellant, provocat. Falſitatem hujus ſententiæ etiam refutant Hydropicorum hiſtoriæ, qui ſæpè, rupto ſponte ſuâ umbilico, in integrum fuerunt reſtituti, uti plura narrat exempla I *Schenck*. [cc] ex variis Auctoribus. Hiſtoriam ſimilem deſcribit Gr. Horſt. (dd) de muliere ruſticâ. Quin etiam nec ruptum, ob inteſtina incluſa, umbilicum ſemper & ex neceſſitate ſubſequitur mors, ut *Th. Bartholin*. [ee] in muliere notavit. Licet ſæpiùs accidat, præſertim ob graviora ſupervenientia ſymptomata, ejusmodi affectu affectos exſpirare, Sicut modô citatus *Barthol*. [ff] de ſex menſium puerulo narrat; *I. Schenck*. v. [gg] ex *M. Donato* [hh] accuratiore facit mentione illorũ ſymptomatum, quibus urgentibus mortem oppetiit Illuſtris quædam Mulier. Quæ de rupturâ umbilici diximus, ferè quadrant etiam ad ejusdem *Vulnera*. *Letalia* hæc cenſent multi, quos inter eſt *Sperlingius* [ii] & *Hœferus* [kk]. Rationem reddunt hanc: quia cùm poſt editum in lucem fœtum vena umbilicalis in ligamentum degenerat, ex quo ſuſpenditur hepar; reſecto hoc hepar collabitur, à quo trahitur diaphragma, reſpirationis organon: reſpiratione ergò impeditâ, cor ſuffocatur, unde mors, *juxta Laurent*. [ll] *G. F. Hildanus* v. [mm] potiùs vult, he par ſurſum retrahi, & diaphragma adeò comprimi, ut homo neq; inſpirare neq; exſpirare poſſit, immò ſuffocetur illicò. Hinc dicunt, Ægyptiis in more poſitum eſſe, ut graſſatores & rebelles, ſupplicii loco vivos exuant corio; Carnificem v. prohibeant umbilicum ferro attingere ſi diu velint magno eos cruciatu vivere; cùm v. mori illos volunt, etiam cutem circa umbilicum detrahunt, ut vaſis & viſceribus collabentibus homo ſuffocetur: uti legimus ap. *Scalig*. [nn] & *Cardan*. [oo] Confirmat hæc *Hildanus l. c.* obſervatione quadam in Adoleſcente habitâ, qui ex vulnere exiguo inter umbilicum & coſtas mendoſas acie gladii inflicto, mox humi procumbens, quamprimum exſpiravit. Seq. die, cadavere diſſecto, cauſam perveſtigans invenit interiora omnia illæſa, præter umbilicalem venam in adultis ligamentum potiùs, planè abſciſſam. *Bartholino* v. *teſte* [pp] contraria exempla vidit *Riolanus Experientiſſimus*, & quivis ex Omphalocele judicare poteſt. Si mors ſequatur, ait, ex accidenti evenit, læſis qq. interioribus, & patulo ad rerum noxiarum penetrationem oſtio. Nec ſubitam mortem inferri ab illâ ſpirandi difficultate, quam prætendit *Sperling. cum aſſeclis*: Præterea & alio ligamento valido ſuſpendi hepar à peritonæo. Nos, ſi noſtram ſuperaddere licet ἐπίκρισιν, cum CL. *Moebio* [qq] & *Blaſio* [rr] judicamus, ſi ab horum ligamentorum læſione homo non ſtatim pereat, eum incommodiùs tamen & deteriùs vivere. In umbilico inſuper non rarò oriuntur *ulcera, apoſtemata* & *abſceſſus*. Cauſam illis nonnunquam præbent Inteſtina putrefacta, uti exemplo quodam teſtatur *I. Schenck*. [ss] & docent fæces, quæ aliàs per alvum debebant, hinc rejectæ, quale quid obſervavit *Ioh. Bilger ap. Gr. Horſt*. [tt] *Remotior* adhuc *cauſa* ſunt vermes, qui inteſtina erodunt, uti factum notavit *Salmuth* [uu] *Pareus* [vv] ac. *Ioh. Schenck*.

(z) de morb. mul. l. 2. c, 6. p. 374.
(aa) cent. 1 obſ. 54.
(bb) cent. 5. hiſt. 39. p. 80.
(cc) l. 3. ſ. 2. obſ. 147. p. 191. & ſeqq it. obſ. 133. it. obſ. 148.
(dd) l. 4. p. 2. obſ. 28. p. 367.
(ee) cent. 1. h. 73.
(ff) c. 3. h. 22.
(gg) l. 3. obſ. 358.
(hh) l. 4. c. 3
(ii) Synopſ. Anthrop. Phyſ. p. 2. c, 10. q. 1.
(kk) Herc. Med, p. 190
(ll) Anat. p. 223. & 241.
(mm) cent 1. obſ. 53.
(nn) Exerc 246. ad Subtil. Cardan.
(oo) l. 12. de Subtil. circa fin.
[pp] A. R. p. 204.
[qq] fund. phyſ. p. 566
[rr] not. ad Vesling p. 118. [ss] l. 3. obſ. 363. [tt] l. 4. p. 2, obſ. 19. [uu] cent. 2. obſ. 61. [vv] l. 19. c. 3.

Schenck. [xx] & *P. Forest. ap. Eund.* Immò officula fetûs mortui per uterum excreta & circa umbilicum incarcerata aliquando in causâ apostemaris fuisse testatur *Albucasis* [yy]. Vlceris v. illius, quod modò diximus, *curationem Bilgerus* in se suscipere noluit, ob debilitatem infantis. Faciliùs curantur ejusmodi exulcerationes, si nulla adsit intestinorum corruptio. Ita Apostema magnum circa umbilici regionem apertum, curatum fuit à Chirurgo, *teste P. Bayro* [zz]. Alium monstrosum umbilici abscessum curavit *Gr. Horst.* (a) dum præter diætam ordinavit lenitivum seq. ℞. decoct. fl. & fr. cum Sena & Agar. aucti ℥iij. Elect. Diacathol. ʒvj. Sir. ros. solut. ℥jß. M.F. haustus. Huic subjunxit apozema ex sero caprino cum rad. Eryngii, Petrosel. fænic. filip. pauxill. Symphyti, herb. alchimill. heder. terr. fumar. pyrol. sanic. sem. melon. &c. simul tonsore, qui ulcerati loci curam gereret, adhibito. Antiquum m. umbilici ulcus pueri Illustrissimi curavit Ach. Gasserus (b) hoc potu vulnerario: ℞. Sanic. pyrol. a. mß. Consolid. Saracen. millefol. veronic. ana mj. liquirit. ℥ß. Coq. in aq. ℔iv. ad consumtionem 3. part. Colat. dosis est ℥ij, manè tepidè, & totidem per horam ante cœnam frigidè. Quòd si fortè post vermem umbilicalem extractum ulcus aliquod relictum fuerit, sanabat id pulv. aloës exsiccatæ adsperso D. *Fr. Olevianus*, ex testimonio H. Reusneri (c). Huc & *Contusio*, quæ omninò periculosa, immò quandoq; letifera: *Zacutus Lusit.* (d) utriusq; exempla habet.

Ad portum tandem immensi affectuum umbilici pelagi appelleremus, si unicas *Symptomatum* ejusdem procellas superassemus: Age itaq;, remis insurgamus! Sed ecce, primùm nobis scopulus, qui nostram *lædit actionem*, occurrit; *Dolor* sc. umbilici, quem sævissimum observavit in quadam feminâ *Zacutus* (e), aliisq; irritis percuravit in moriturâ opii incorrecti gr. xii. in jusculo exhibitione. Doloris quædam species est *pruritus*, hic dum ab acribus & salsis humoribus, partes umbilici membranosas lancinantibus oritur, sensationem tactûs depravat. Hunc prætereuntes etiam ad *qualitatis mutatæ* symptoma offendimus, *lividitatem* np. quæ ortum suum trahit ex humoribus vitiosis intùs latentibus, & fermentatione suâ umbilicum elevantibus, ut lividus ita & transparens appareat. Præ cæteris v. omnibus sese exserunt, qui p.n. umbilici ejusq; vasorum reserationem sequuntur, *excretorum* fluctus. Vidit *Tulpius* ex thorace à naturâ hinc excretum *pus*, *teste Bartholino.* (f) Quid, quòd & *Spiritus s. flatus* nonnunquam per umbilicum erumpere notaverit *Benivenius* (g). Nec solùm flatus, sed & *fæces* ipsas inde rejectas docent quàm multæ observationes *Gr. Horstii* (h) de infante: *Salmuth.* (i) de Studioso 20. annorum ex Palatinatu oriundo: *Cardan.* (k) de puero 8. annorum, mirabiliter per aquam fontanam & verba curato: *Alex. Benedict.* (l) de alio puero, qui itidem reconvaluit: de Viro quadraginta sex annos nato *G. H. Velsch. obs.* 45. de muliere tandem *Pareus* (m). Plerumq; erosa & exulcerata intestina sequitur hæc fœcum molesta excretio; sponte ergò hæc desistet, si illis ut causæ succurratur, quod factum bono cum successu decocto eupatorii cannabini, quod Ibn-Tsinæ adscribitur, cum vino parato, & poto & ulceribus infuso, *teste Excell. G. H. Velschio* (n). Aliam haud infeliciorem curam in tali casu administravit *Marc. Anton. Montagnana, teste Rumlero* (o). Immò & *urinam* per umbilicum redditam à Virgine imperforatâ scribit *Borellus* (p). Ab aliâ Virgine nobili 20. circiter annorum idem factum, ob collum vesicæ membranâ crassâ & durâ obductum; quæ tn. incisâ istâ membranâ, & filo ligato, plenissimè restituta fuit à *Cabrolio obs.* 20. quod de eo testatur *Laurent.* (q) Simile vidit in quodam 30. annum agente *Fernel.* (r) quod malè vincto umbilico, qui nunquam coaluerit, adscribit. Sæpiùs prætereà accidit, ut & *Hydropicorum aqua* hin

(xx) l. 3. obs. 205.
(yy) l. 2. chirurg. c. 76.
(zz) l. 20. Pract. c. 4.
(a) l. c. obs. 28.
(b) obs. 23. ap. Velsch. l. c.
(c) obs. 97. ap. Velsch.
(d) de Pr. Med. admir. l. 2. obs. 37.
(e) l. c. obs. 36.
(f) l. c. p. 202.
(g) l. 6. de abditis.
(h) l. 4. p. 2. obs. 19.
(i) l. 1. obs. 68.
(k) l. 18. de subtil.
(l) Pr. l. 20 c. 34.
(m) l. 19. c. 13.
(n) obs. 46
(o) obs. 39. ap. Velsch. l. c.
(p) cent. 1. obs. 78.
(q) l. 2. q. 28. Anat.
(r) l. 6. Pathol. c. 13.

hinc spontè fuerint evacuatæ, jam cum, jam absq; levamine & emolumento ægri, prout sc. vel pedetentim, vel confertim fuerint emissæ; vires etiam ægroti vel integræ adhuc, vel valdè debiles exstiterint: uti prostant observationes *ap. I. Schenck.* (r) ex diversis Auctoribus: & *Fabr. Hildan.* (s) Vidit & *Magnus Sennertus* (t) Virum, qui plures quàm 600. ℔. pendebat, in publicū tn. prodibat, in quo v. natura per umbilicum quandam serosi humoris evacuationem tentare incipiebat. Tandem & per jam exoletam. p. n. tn. iterum reclusum, vel in principio non satis probe ligatum umbilicum *sanguinem* promanasse, & vitæ insidias structas, non infrequentes nobis persuadent historiæ Medicæ ap. *Hucher.* (u) *Gotf. Welsch.* (v) Et ex *Amm. Marcell.* historia Helenæ (hæc est soror Constantini, conjux Iuliani Cæs.); obstetricem corrumpentis, quæ mox natum præfectò plusquàm convenerat, umbilico, necavit, *ap. Riolan.* (x); ap. *Fabr. Hildan.* (y) *I. D. Horstium.* (z) *Menses* hac aliquando transivisse alii observarunt, testante CL. *Moeb. l. c.* Et hæc etiam de Symptomatibus, Pergamus ad

(r) l. 3. s. 2. obs. 155.
(s) cent. 1. obs. 47. c. 2. o. 58. & c. 4. obs. 42.
(t) M. P. l. 5. p. 1. c. 4. p. 22.
(u) H. A. l. 7. c. 12.
(v) rational. vuln. letal. jud. c. 5.
[x] l. 6. Antrop. p. 610.
[y] cent. 3. obs. 37. & 152.
[z] Manud. p. 87.

CAP. VII.

Quod, an & in Semioticâ usum aliquem exserat umbilicus, indigitabit.

Cùm pro innatâ sibi erga liberos suos στοργῇ, nil non tentent probi Parentes, quò de felici eorum salute certiores, si nonsint, fieri tamen queant; egregiè in piâ hac causâ vel proprius matrem *umbilicus* adjuvat, cùm adhucdum sub utero occultatum conjugalis amoris pignus circumgestat. Nam, quod *Paul. Barbette* (aa) docet, panis in vino malvatico maceretur, umbilico matris imponatur, si fetus non moveatur, mali erit ominis. Ita in *abortûs diagnosin* funiculus inspectus nos facilè ducit; dùm *Vel brevis* nimis apparet, unde colligimus, crescentem in utero fetum pedetentim, propter hanc vasorum brevitatem, placentam ab utero matris abstraxisse; unde paulatim imminuto alimento, & viribus deficientibus, necessariò interiit, uti ratiocinatur *F. Hildan.* [bb]. *Vel nimis longus* protrahitur, ita ut in eâ laxitate sese quandoq; invertat, & contorqueat fetum, nodusq; in medio contrahatur, qui atrophiæ & mortis causa esse solet propter commeatum alimenti interceptum, notante *Beckero* [cc]; *Vel* etiam infantis collum circumvolvens miserum strangulet, id quod fieri observavit *C. Bauhinus* [dd]: *Vel* aliam vanam prædictionis occasionem præbeat stolidis mulierculis, *teste Riolano* (ee) & *Varolio* (ff). Vix namque conspicuum aliquid est in chordâ umbilicali, quod non characterem quendam peculiarem futuri fetûs statûs præ se ferat Obstetricibus, & quibus id persuadent credulis mulierculis, immò doctis quandoque Viris. Nota est in vulgus etiam *Prognosis* illa hausta ex umbilico *de partibus hominis generationi inservientibus*, cui & ipse *Riolanus* consentire videtur, hinc (gg) seriò præcipit, ut solerter & industriè resecetur umbilicus, nodoq; religetur, cùm penis & uterus umbilici proportionem sequantur. Quod de utero dicit *Riolanus*, illud de *pene Laurent.* (hh) putans, fieri hoc propter urachi protensionem, qui ad penem, mediante vesicæ extremitate desinat. Quâ opinione detentos etiam *Galenum* & *Plazzonum*, ait I. Th. *Schenck.* (ii) *Salmuth.* v. dubitat (kk). Sed meritò pernegat *Illustris Rolfincius* (ll). Experientiæ qq. respondere negat I. Th. *Schenck. l. c.* Et quid de illis, quæso, dicamus, in quibus vel nullus reperitur urachus: vel umbilico nunquam annexus? quorum multos dari, observationes Auctorum fide dignorum superiùs allatæ, evincunt. Ejusdem frugis est falsa illa *ex nodis & rugis funiculi primi de liberis in posterum edendis hariolatio*: quam *Eucharius Rhodion* ex *Ibn-Tsina* describit ap. *Ioh. Riolan.* (mm) si sc. in parte, quâ corpori proximus est, rugas seu nodos non habet, deinceps sterilitatem portendit:

[aa] Chirurg. c. 23. de extr. fet. mort. p. m. 80.
[bb] cent. 2. o. 50. & 51.
(cc) Med. Microc. l. 1. c. 8. p. 27.
(dd) ap. F. Hild. l. c. p. 210.
(ee) S. A. p. 332.
(ff) Anat. l. 4. c. 5.
(gg) l. c. p. 333.
(hh) Anat. p. 263.
(ii) de part. gen. p. 32.
(kk) cent. 1. obs. 68. (ll) de part. gen. inserv. p. 93. (mm) l. c. p. 332.

tendit: Sin ostendat, tot partus ac liberos promittit, quot numero nodi vel rugæ in eo deprehenduntur. Nec defuerunt huic fabulæ sui basiatores, etiam inter Doctos. Ex Arabibus, si *Casp. à Rejes* (nn) credimus, illud scribsit *Albumasar*, (oo) & confirmare videtur *Ibn tsina* (vulgò *Avicenna*) (pp). In cujus loci *comment. Iac. de Partibus* saltem illud concedit, quòd illæ rugæ seu nodi *de præsenti gemellum* demonstrent, an in utero, vel non, remaneat? Cui consentit *Ioh. Alonso de Fontecha* (qq). Et hac arte, sunt, qui dixerint obstetrices in nativitate *Esau* cognovisse, quòd post eum nasciturus esset *Iacob*, atque ob id alligasse filo coccineo, ut ab eo discerneretur, ut notat *Torreblanc. Villalp.* (rr) Certam hujusmodi Omphalomantiam confirmant præter *Salicetum Gabriel Zirbus*, (ss) *Conciliator* (tt), *Rhodigin.* [uu] *P. de Bayro* [vv]. Immò *Hier. Montuus* (xx) tq. certum signum in prole Reginæ Matris Christianissimæ comprobatum fuisse ait. Verùm omnia hæc futilia esse & fabulosa peritiores Medici fatentur: tenet inprimis *Rod. à Castro* [yy] *Lang.* [zz] *Barthol.* [a] *Harv.* [b] *Deusing.* [c] *&c.* Cùm nullâ ratione fulciantur, nec experientiâ probentur, sed alius ex alio transscribendo ridiculum hoc mendacium (uti *Rejes l.c.* vocat, & fusiùs refutat) in vulgus sparserunt. Immò *Columbus* & cum eo *Bartholin. l.c.* dicunt, non minorem nodorum numerum in ultimi, quàm in primi fetus esse funiculo: frustra ergò sunt omnium Obstetricum hac de re fabulæ. Pari modo, quòd *ex* certâ *nodorum distantiâ* futuri qq. conceptus brevi vel longo intervallo divinari possint, & gemellos, si alter incumbat vel adstet alteri; falsum sæpè invenit *Bartholin. l.c.* Et aniliter hariolari dicit *Harveus l.c.* eos, qui ex *colorum varietate de sexûs discrimine* vaticinari volunt, ita ut nodus si primus sequatur albus, femellam: si ruber, marem secuturum infantem præsagiat. Quam coloris diversitatem oriri autumat *Barthol. l.c.* à caloris vel defectu vel abundantiâ. Nonnulli v. rubentes sanguinis, pallentes lactis vel succi nutritii albescentis, forsan nondum satis cum sanguine permixti præsentiam denotare volunt. Non minùs nodum in scirpo quærunt, qui in *nodorum figurâ* signum quoddam venantur *sexûs* subsecuturi, quod *P. Bayrum l.c.* fecisse testatur *Rejes l.c.* dum rotundos mares significare, oblongos feminas, voluit: quemadmodum de gallinaceis ovis alii scribserunt. Verùm ἀλόγως: hinc I. A. *Fontecha l.c.* recurrit, quod Philosophi non esse videtur, ad ultimam illam causam, quæ & prima est, summum sc. rerum Conditorem, cui relinquendam putat effectûs hujus causam: nullâ tamen, ut opinor, necessitate adactus, cùm ejus rei causam conetur indagare, quæ nullam unquam causam agnovit. Ejusdem farinæ est prognosis *ex decidentia tempore de ætate* infantis, si nim. quintâ, à ligationis horâ, die decidat umbilicus, longævos, si tertio, brevioris vitæ futuros. Majoris fortè momenti est prædictio *ex sanguinis* post resectionem umbilici *fluxu de Variolis*. Vult enim *Schmizius* (d) resciffo umbilico, si infans sit plethoricus, sanguinem non esse intro premendum, ex eâ ratione, quòd si effluat sanguis, ex observatione *Riolani*, paucioribus postmodùm variolis laboret infans. Sed salva sit ap. me Magni aliàs Viri auctoritas, videtur tn. experientiâ constare non sine mortis periculo hunc sanguinis fluxum conjunctum esse, cùm nostris in regionibus, vel paucarum sanguinis guttularum fusionem ægerrimè ferant homines. Vnicum superaddamus, quod *ex situ* umbilici prædicit *Riolanus*, & ex eo *Moeb. l.c.* Si pars corporis infra umbilicum est longior superiore, ilias morborum nascitur in ventre inferiore: quia umbilicalis vena brevior, non sufficienter revellit jecur, quod pondere suo ventriculum & partes subditas comprimit. An verum, valdè dubito.

(nn) camp. Elys. j. q. LII. p. 661.
(oo) in princip. introduct.
(pp) fen. 21 l. 3. tr. 1. c. 17
(qq) privileg 8. prægnant. f. m. 150.
(rr) in epit. delict. l. 1. c. 24.
(ss) lib. de infant. anat.
(tt) 10. probl. 42.
(uu) l. 4. A. L. c. 5.
(vv) in suo vade mecum. l. 15. c. 8.
(xx) anasceu. l. ult. c. 35.
(yy) l. 1. de nat. mul. c. 10.
(zz) Ep. 10. t. 2.
(a) A. R. p. 200.
(b) de gen. an. p. 375.
(c) l. A. p. 148.
(d) l. c. p. 120. 129.

CAP. VIII.

Usum in Chirurgiâ docet.

IN Chirurgiâ facit funiculus *ad secundinarum extractionem*, si vel non resciffus sit à fetu, vel resciffus adhuc promineat; ita enim hujus ductum, tq. Ariadnæum filum, sequentur facilè Obstetricis vel Chirurgi manus: sinistra quidem apprehensum leniter trahet; dextra v. inuncta funiculum sequens, ubi ad fundum uteri pervenit, statim digitis inter placentam & uteri tunicam interpositis, sic eam parumper circumcisis & retusis unguibus, & summis digitis, ab utero totam separabit, ad eum modum, quo lanii pellem animalibus detrahunt; quod feliciter cessit *Aquapend. in oper. Chirurg.* Sedulò autem cavendum, ut ex Auctoribus suggerit *Barthol.* (e) ne in directum trahatur umbilicus, ne uterus simul extrahatur, sed obliquè hac illac vertenda secunda, sensimq; validius attrahenda. Blandâ qq. manu, non vi aut subitò agendum, ob metum inflammationis, monente *Coo Sene* (f) & *Trincavell.* (g) Aliam commemorat Chirurgicam operationem *Alpinus*, teste *Barthol.* (h) quam dicit Ægyptiis esse solennem, qui si *dysenteriam* sanare velint, digitum intrudant in umbilicum, eumq; pluries circumducant. Præterea sat idoneum locum præbet umbilicus *cucurbitularum impositioni*, quam summè proficuam experiuntur Medici Practici *in Colicâ à flatibus* orta: adeò ut *Crato* (i) incantamenti instar Colicam à flatibus curari dicat, si ex *Galeni* præcepto, cucurbitam magnam cum magnâ flammâ ventri ad umbilicum admoveamus, etiam suadente *Frambe.* (k) & ex His *Hôfero l. c.* quo animadvertente, notanter dicitur, *ad* umbilicum, non *supra*, ne fortè syncope oriatur propter commercium vasorum umbilicalium cum corde. Exemplo hoc docet Benivenius (l). Nobilior est *perforatio* vel *Paracentesis umbilici*, quam omninò administrandam, & eò feliciùs atq; utiliùs cessuram censemus, quò sæpiùs & ipsa Natura à nemine edocta, in ægri commodum hac viâ usa est, uti plurima testantur exempla, hinc inde ab Auctoribus consignata, quorum aliquot in suas collegit observationes *Ioh. Schenck.* (m) ex *Amato, Ronseio, Valleriolâ, Ioh. Hessô, Marc. Donato.* Eadem docet *F. Hildanus* (n) *Moebius* itidem vidit Hydropicum, cui ex hisce vasis spontè apertis copiosa aqua evacuabatur: idemque testatur (o) observasse *Riolanum.* Quò itaq; Natura maximè vergit, juxta Hippocratem, eò ducere convenit. Præsertim cùm citra multarum partium solutionem fiat hæc umbilici compunctio: coëunt enim in umbilico vasa umbilicalia, quæ si dehiscant aquarum eò confluentium vi & impetu, sola cutis secanda erit, teste *Laurent.* (p) Nec pertimescendæ sunt, eodem benè docente, convulsiones, ob musculorum aponeuroses ibi terminantes, cum eorum extrema circa umbilicum perforata sint, ut vasis umbilicalibus aditus pateat. Præferenda itaque in hydrope hæc per umbilicum compunctio ei, quæ fit sub umbilico in latere abdominis, sed tum demùm, cùm in tumorem elevatur umbilicus, id quod approbant Chirurgorum peritissimi, *A. Laurent. F. Hildan. l. c. Ioh. Iessenius* (q) *I. van Horne* (r) Ipsam autem operationem docent *Laurent. & Iessen. l. c.* Præter Paracentesin v. indigitatam dari adhuc alium modum educendi per umbilicum hydropicorum aquam, persuadet *C. Hofmann.* (s) *Instrumenti* sc. cujusdam *hydrulci* mentionem ibi facit, quod ab Amico quodam se accepisse dicit, & inventum esse tradit *Sanctorii Sanctorii*, cujus beneficio sine paracentesi feliciter aquam eduxerit: quoniam v. nec describtionem, nec delineationem ejus addit, & nos plura addere prohibemur.

(e) cent. 5. h. 39. p. 79.
(f) l. de superfet.
(g) l. 6. c. 28
(h) A. R. p. 202.
(i) l. 5. f. 138
[k] in consf. 356.
[l] c. 39. de abditis.
[m] l. 3. o. 147. sect. 2
[n] cent. 1. obs. 47. II, 58. IV, 42.
[o] l. c. p. 328.
[p] oper. Anat. l. 1. q. 16.
[q] Inst. Chir. p. 76.
[r] Microt. p. 68. & 140.
(s) in Epist. ad Hildan. c. 5. obs. 1. p. 208.

CAP.

CAP. IX.

Usum Pharmaceuticum enarrabit.

HIc, ut in aliis partibus affectis, proficua valdè sunt medicamenta topica. Hinc in ipso partu statim, si inter angustias hærens infans difficulter exclusus, & suffocationis metu quasi exanimatus sit, suadent Medicorum nonnulli *cordialia umbilico applicanda*, e. g. vinum malvaticum; hac enim ratione spirituascentia redintegratur. De reliquis topicis adhibendis supr. cap. III. & cap. VI. egimus. Porrò insensibili modo patet umbilicus impositis purgantibus, hystericos affectus sedantibus, vermes enecantibus &c. ait *Barthol.* (s) consentit *Moeb. l. c.* Unde factum, ut ubi neq; per os, neq; per anum alia possunt assumi, regioni umbilicali illinantur. quæ medicamenta *umbilicalia* inde dicuntur, vel græcâ voce *epomphalia*. Ita *Ioh. Iessenius l. c.* per umbilicum salvum *catharticum* exhibuit Melancholicæ, in quartum usq; mensem alvi constipatæ: Capiebat ℞. fell. taur. butyr. insulf. ana ℥ ij Extr. hel leb. nigr. Colocynth. ana ℈j diagrid. gr. iv. Croc. gr. iii. mista lentoq; igne ad mellis consistentiam deducta, nucis juglandis semitestâ excepta umbilico alligabat, qui intra pauculas horas ita eam exhauriebat, ut aliquoties replenda ipsi fuerit. Consentit *Aëtius* (t) & iis, qui neq; V. S. neq; purgationem sustinere possunt, pharmaca umbilicalia imponenda esse suadet: & *Aegineta* (u) duas præscribit formulas. Commendat eadem in alvi adstrictione Ionston (v), & vult ex aloë, fell. taur. myrrh. butyr. ol. diacolocynth, Querc. & aliis paranda. *Experientißimus Dn. D. Michaëlis* (x) habet seq. linimentum: ℞. Ung. de artanitâ ʒij. fell. taur. inspissati ʒj. *Eodem teste CL. Moebius* aliis irritis ad Empl. de artanita, tq. ad sacram anchoram consuevit confugere, applicandum umbilico. Quidam commendant Zibethum umbilico inungendum, promoveat enim motum peristalticum intestinorum. Empl. ex felle taur. & colocynth. umbilico impositum expertus est *Ioh. Schenck.* Umbilicale purgans hoc commendat *Iul. Cæs. Claudinus* (y) ℞ ung. de artanit. ℥jß elater. scammon. ana ℈ij. nitr. ʒij. helleb. alb. subt. pulverif. ʒj. cum fell. taur. excipiantur in formam linimenti, atque circumcirca umbilicum illinantur. Potest & tale linimentum præscribi. ℞. ol. amygd. dulc. pingued. anser. recent. butyr. majal. ana ℥ij. Sal. Gemm. ℈ß. specc. hier. simpl. ℈j. Colocynth. gr. xv. diacryd. gr. iv. M. *Actuarius* qq. (z) epithema, quod lienem expurget, umbilico imponendum præscribit. Vice versâ etiam *fluxum Ventris* antidotis umbilico applicitis sæpe consistere suo consilio, se vidisse testatur *Doctiß. G. H. Velsch.* (aa) Unde nec mirum arbitratur, *Gasserum l. c.* vomitum inhibuisse. cùm etiam à bile ex intestinis regurgitante sæpiùs accidat. *Vomitus* a. ille, de quo *Gasserus*, visus omnibus desperatus, applicito Cataplasmate ex melle, vitello ovi & N. M. [non ventriculo, sed umbilico) eo ipso qs. momento substitit. Præterea insignem umbilicus confert operam *ad repellenda Ventris tormina*, quæ sive frigidi humores ingluvie acervati, sive acres & maligni, bilis aut splenis vitio excitent; gulosis & scelotyrbicis familiaria, frustra clysteribus atque purgantibus ore adsumtis à Medicis pugnari solet, auctis plerumque doloribus, humoribusque propterea vehementiùs commotis, *judice Excell. G. H. Velschio* (bb): Felicissimè v. antidoris id perfici testatur, è quibus Ipse Mithridaticam aceto solutam & pani tosto adspersam, calidissimam umbilico applicare solet; quâ solâ tq. incantamento innumeros ocyùs liberavit, purgatione, si quâ opus videbatur, posteà commodiùs institutâ. In *Colicis Doloribus* sacculos etiam ex herbis apro-

(s) A. R. p. 204.

(t) tetr. 3. serm. 4. c. 27.

(u) de re med. l. 7. c. 9.

(v) l. c. l. 12. t. 3.

(x) Colleg. Pr. M. S. ad Ionston.

(y) de ingr. ad infirm. l. 2. c. 10. p. 217.

(z) de M. M l. v. c. 10.

(aa) not. ad Gasser. obs. 67.

(bb) obs. Med. 41.

propriatis applicandos suadet *I. Lud. Hannemann.* (cc) qui & (dd) oleum carminativum describit, quo in hoc affectu inungi vult umbilicum. Sequentem v. fotum in vehementissimo Colico expertus est: ℞ decoct. fl. Chamomill. ℔j, una cum fl. inf. in vesic. bubul. hæc quàm calidissimè applicita, in momento dolorem sedabat. Quænam umbilico, cum vermes latentes complectitur, adhibenda sint, superiùs *cap. VI.* edocti sumus: non cessat tn. ejusdem usus etiam *in intestinorum Vermibus*, ex infantibus inprimis eliminandis. Curatio ea consistit in eorum interemtione & expulsione, utrumq; egregiè præstat fel bubalum, cui nonnihil pulv. cymin. colocynth. & aloës est admixtum, quod stupâ s. lanâ in modum sphærulæ formatâ exceptum umbilico infantis applicetur, ita jubente *Experientissimo Medico Ioële* (ee). Peculiariter qq. patrocinatur sequiori sexui, ubi *ad menses provitandos* epithema ei admovendum proponit *Actuar. l.c.* Porrò tq. rarum & vulgo incognitum remedium ex M.S. quodam depromtum, quod & partum & secundinas promoveat, suadet Ioh. *Schenck.* (ff) Oleum succini umbilico inungendum. *Alex. Pedemont. ap. Eund. l.c.* ut mulier pariat, & sine dolore quidem, seq. præscribit. ℞ Gallitrich. q.s. contundatur benè & exprimatur succus, de quo accipito poculum dimidium, & cum vino mulieri parturienti ad bibendum dato: mox herbam expressam calidam supra umbilicum ligato. Deniq; umbilico in affectu, Veteribus *suffocatio uterina, passio hysterica, uteri ascensus* &c. Recentioribus, quòd & Viris quandoq; infesta sit, *suffocatio hypochondriaca*, dicto, *Montagnana*, & ex hoc *I. L. Hannemann.* (gg) seq. Empl. tq. secretum applicant: ℞ Gall. Muscat. alip. musch. ana ʒj. Styrac. calamit. Ladan. puriss. mastich. ana ℥j. xylal. xylobals. carpobals. Galang. cyper. ana ʒiij. ros. rubr. ℥iß. cer. nov. ℔ß. pulv. pulveris. & c. s. q. Tereb. F. Empl. umbilico inungendum. Et hoc inungatur regio umbilici: ℞ liquor N.M. ʒj. bals. succin. gtt. xii. ol. anth. rut. ana gtt. vi. macis gtt. iv. Zibeth. gr. iii. M.

(cc) Prodrom. Lexic. Med. p. 659.
(dd) l. c. p. 395.
(ee) l. c. p. 514.
(ff) l. 4. obs. 171.
(gg) l. c. p. 695.

CAP. X.

Usum in Diætâ paucis tradit.

IN *Hygiene* qq. habere usum, Medicorum *de Emplastris nutrientibus* opinio innuit. Quem nutricationis modum, si *Zacuto* credimus, primus omnium adinvenit *Hippocr.* (hh) ubi extrinsecus positum alimentum ab extimâ superficie ad intima pervenire posse asseverat, cujus mentem doctissimè explicat *Vallesi. in Comm.* Et hanc de nutritione per umbilicum sententiam communem dicit *Zacutus*, omnibusq; confirmatam. Cùm negandum non sit, aliquem succum tàm tenuem & multi habitûs esse posse, ut ventriculi concoctione non prægressâ, verè partes carnosas nutrire possit, & maximè si sit facilis coctionis, & promtè penetret. Cujus generis æstimat offam rosaceam, vino odorifero, nardino unguento, aut spicato irroratam: Succum carnium per destillationem aut expressionem exactum: Gallinæ aut alterius animalis suavissimi carnem modicè assam, & pulv. variis confortantibus adspersam: Vitella ovorum recentissima, unà cum sanguine columbino recenter extracto, & aquâ naphæ aut melifs. extr. &c. quæ ut εὔπεπτα & odorifera, & propter odorem etiam nutrientia commendat (ii). Et nil obstare putat, quo minus alimentum ejusmodi stomacho vel umbilico appositum, ibique ob partium circumstantium calorem, & membrorum tractricem vim, ad interiores sedes raptum, & elaboratum nutrire possit. Præsertim cùm *sec. Hippocr.* (kk) fetus per umbilicum attrahat alimentum. Allegat etiam in seqq. (ll) in suam sententiam experientiam: Septimestrem enim

(hh) l. de aliment. n. 5.
(ii) l. 1. de Med. Princ hist. Dub. iv p. 19. c. 2
(kk) l. de nat. puer.
(ll) l. c. obs. xi.

enim vidit, quæ igni correpta, septem diebus sine ullo cibo assumto, nutrientibus Empl. umbilico assiduè admotis, ad octavum diem sævitiem morbi subterfugiens, vitam produxit, & evasit. Hanc Zacuti sententiam non imperitam censet Philosophus quidam *ap. Conr. Vict. Schneiderum* (m) *Negat* v. eandem *Otto Casmannus* (nn). Obstare qq. videtur, & in infante arcta umbilici ligatio, & in adulto crassities cutis atque membranæ, quo minùs aliquid crassij & corpulenti nutrimenti per illum subire possit. Vt taceam, nullâ ratione probabile videri, quod absque præviâ in ventriculo coctione cibus aliquis in sanguinem & succum nutritium verti possit; cùm necessariò fermento imprægnandus, & in chyli formam transmutandus priùs sit. Illud quidem faciliùs concedi potest Zacuto, quòd succi illi, quos commendat, cùm plerique omnes valdè sint spirituosi & penetrantes, *ad reficiendos spiritus* aliquid conferre possint, quo nomine *& Bern. SWalVe* (oo) admittenda censetur ejus sententia: extra v. hoc somniare eum dicit, quòd crediderit septimestrem nutritam fuisse per umbilicum. Hinc talia, sub ventriculi nomine, fundit verba: Possint tenuiores Emplastrorum nutrientium partes calore elici; possint per pororum contactum in capillares rapi venas: cumq; regressivo sanguine subire cor: vis tn. si qua refectiva, non languidis partibus erigendis, sed spiritibus saltem proderit. Non est strenuitas externo auxilio tanta, sit licet multi habitûs, promtéque penetrans succus carnium, offa vinosa, & quicquid horum. Præcipiti autem virium labsui ut succurrant, non sanè umbilico, non regioni meæ, sed thoraci applicanda erant.

(mm) l. de oss. cribrif. p. 64.

(nn) l. 2. Psycholog c. 12. quæst. ult.

(oo) in ventr. querel. & opprobr. p. 74.

C A P. X I.

Cum usu Medico claudit.

UMbilici tandem ea est nobilitas, ut ne quidem jam avulsus ab homine, utilis homini esse desinat: *Ipse* enim non rarò *medicamenti formam induit, operaturque*. In libro MS. variorum εὐπορίστων *Anonymi* cujusdam, invenit *Excellentissimus Dn. Præses, Patronus noster atque Præceptor, dum Vita suppetet, magnificiendus* ex cujus communicatione habeo, sequentem hanc Panacæam, contra omnes morbos, uti vocat Auctor ille: Recip. Centrum Microcosmi, intellige die Schnur / thu es in ein Phiol oder Kolben-glaß zu cæco Alembico, laß es in digestione stehen / biß es zu einem Wasser/vnd ferner wieder trocken wird; Diß soll man versuchen auff ein 2. oder 3. gran. Videbis mirabilia in omnibus morbis. *Schröderus* (pp) eosdem ferè usus adscribit umbilico infantis deciduo, quos secundinæ: hinc in hujus defectu illum vult substitui, & magnifieri dicit *ad strumas gutturis* tollendas, calcinatum sc. & in aqua abrotani quotidiè exhibitum, pondere ʒß. idque lunâ decrescente. Porrò Eundem commendat in *Epilepsiâ*: in quo consentientes habet alios, qui tamen diversâ eum exhibent formâ. Quidam enim existimant, particulam illam *pulVerisatam* plurimum valere epileptico puero exhibitam, *teste Beckero* (qq): Alii v. *sanguinem ex eo promanantem* commendant: Hinc *Fr. HelVetius* (rr) inquit: Quicunque infantibus 3. aut 4. gtt. sanguinis ex præsectâ chordâ manantis dederit absorbendas, præcavebit, ut illi nunquam corripiantur morbo sontico s. comitiali. Ad *philtra* compescenda refert *Schröder. l. c.* eundem umbilicum conducere; aliquos tamen in hoc contradicentes habet, qui potiùs *pro philtris inde parandis* inservire ajunt; uti ex *Lauremberg. Disp. Anat.* refert *Becker. l. c.* Qui addit, fabulas has esse pueriles, & fortè melius succedere, si allegoricam & secretiorem iis interpretationem adscribas; Si sc. puellæ eò deveniunt familiaritatis, ut sive palpandum Viris umbilicum suum, sive spectandum offerant, dubium nullum sit, quin

(pp) Pharmac. l. V. p. m. 288.

(qq) l. c. l. 1. c. 8. p. 28.

(rr) dirib. Med. c. 16. p. 117.

igniculum illi concepturi sint, & facilè descensuri in placidum amorem. *Alex. Benedictus* prodidit, umbilici infantis portionem spontè deciduam, quoquomodo in cibo vel potu sumtam *restibilem fecunditatem* conciliare, quod de eo testantur,
(ss) l.c. p. 335. *Ioh. Riolanus* (ss) *Beckerus l.c.* Consentit etiam *Rattray*: aliosque idem asserere re-
fert *Corbej.* (tt) *Ad partus* præterea alios *procurandos* nonnullos exsiccatum reserva-
(tt) l.2. Gy- re umbilicum, testatur *Bartholinus* (uu). Inprimis v. *Ioh. Schenck.* (vv) inter rara, no-
næc. c. 2. p. va, & vulgò incognita *ad partum facilitandum* remedia refert, & ut efficacem præ-
197. dicat seq. pulverem : Ourachus cum duobus vasis abluitur vino albo, in fictili
(uu) A. R. novo uritur in clibano, denuò aquâ Endiviæ & vino abluitur, servetur usui : Recip.
p. 201. hujus cineris urachi ℥ij. Cinnam. ʒß. piper. long. galang. ana ʒj. sem. plantag.
(vv) l. 4. & endiv. ana ʒ ß. sem. lavend. ℈iv. F. pulv. cum aquis prædictis & vino albo, si
obs. 171. p. 382. febris desit. *Weickard.* (xx) eundem pulv. ad partum accelerandum efficacissimum
(xx) thes. tradit: sed loco aquarum dictarum, & vini albi, addit hæc: Recip. hujus pulveris
Pharmac. (quem subtilissimum] vult fieri) ℈ij. Conf. alkerm. totid trochisc. de myrrh. ʒß.
p. 396. Castor. ℈j. Sumatur id cum aq. Sabin. & artemis. p. æ. Contrà *amuleti instar* in brachiis *gestatum* umbilicum, *conceptum inhibere* dicit *Alex. Benedict. ap. cit. auct.* Porro *Becker. l.c.* meminit, retulisse sibi aliquando ICtum Megapolitanum, ibidem loci portionem illam umbilici deciduam, recentem adhuc, supra bacillum duci, ut cavitas conspicua maneat, per quam postea conspiciendos sæpe infantes cogant, quo sic acutiorem videndi facultatem contrahant. Sed ut fabulæ hoc magis, vel frivolæ alicui superstitioni simile videtur, ita ad veritatem propiùs accedere censemus effectum illum, quem *Hartmannus* teste *Schrödero l.c.* umbilico deciduo
(yy) l. 1. tribuit, facere sc. ad *nævos maternos* tollendos. Cui calculum adjicit *Poppius*, [yy].
thes. med. qui ita adhibendum præcipit : Sumatur umbilici decidua] pars, eaque cum aq.
p. 188. vitiorum (Feldwicken) destillatâ misceatur, & indies ter locus inungatur, & relinquas ibidem, donec siccescat; tàm diu qq. id continuetur, quamdiu te gesta-
(zz) l. x. c. 1 vit mater ~~sic affecta~~. Valere adversus *colicos dolores*, *vel* juxta *Trallianum* (zz)
(a) Ep. *formâ amuleti* gestatum ; adstipulantur *Rhases*, *Ronssej.* (a) *Cardan.* (b) *Heurn.*
Med. XVII. *Macas.* (c) *Iac. Martini* [d] & *Crollius* [e] *Vel* juxta *Poppium* [f] ℈j. cum vino
(b) l. 18. generoso deglutitum prodesse dicitur : Dubitatur *Primerosio* (g) Affirmantes, ut
subtil. *Poppius l.c.* & *Paschalis* (h) umbilicum exhibendum volunt Viro, puelli; feminæ,
(c) p. 327. femellæ. Nos hæc nemini obtrudimus tq. indubitatâ veritate nixa, & vel ex
(d) c. 5. q. ipso qs. Apollinis tripode desumta ; cum probabili ratione quodammodo de-
illustr. stituta videantur : interim tamen, ut illicò tq. falsa omnia proscribamus,
phil. disp. prohibet itidem Medicorum nonnullorum, qui ad experientiam provocant, au-
3. p. 69. ctoritas; Suus per nos stet cuivis honos. Placuit idcircò non solùm hîc, sed &
(e) de si- per omnem dissertationem ipsos Auctores suam pandentes sententiam adducere,
gnat. p. 55. tùm ut liberam Tibi B. L. optionem relinqueremus arripiendi, quicunque præ
(f) l.c.p. cæteris probabilissimus videbitur : tùm ut significaremus insimul, per quos
371. hucusque profecerimus : quod ut fateri ingenui duximus esse pudoris; ita mi-
(g) l.c.p. 2. tiorem à Te speramus censuram, si fortè in quibusdam cum Magnis Viris halluci-
p. 211. nati fuerimus.

(h) l. 1. c. 40 TIBI interim DEUS T. O. M. sine Cujus ope ad umbilicum aliquid deducere nulli concessum, quòd tàm larga nobis largitus es auxilia, quibus sufficientes fuimus umbilico nostro ad umbilicum perducendo, grates reponimus ad umbilicum nunquam perducendas!

GEOR-

GEORGIUS FRANCUS,
MED. D. & P.P. h.t. DECANUS
CL^mo JUVENI
BENEDICTO HERMANNO MEO
S. P. D.

QVinquennium fere Pythagoricum inter alteriores Musas bene latuisti, & siluisti docte! Multi cruda sua studia nondumq; concocta in chartam revomunt cum legentium nausea, ubi conspici cupiunt, non proficere. Certe non prodest cibus, nec corpori accedit; qui statim sumtus emittitur. Tu vindicas Te tibi & tempus; & dum omnes complecteris horas, fiet, ut minus pendeas ex crastino, quia hodierno manum injicis. Inter ipsa Artis illustria incrementa incrementa ipse capis, & pergis ad augmenta nobilia. Stupes illa mecum & veneraris non quia à novis, *sed* veracibus *sunt. Multi enim auctoritatem habent senum, vitia vero puerorum. Qui solicite consulit mortuos, celebrius vivet. Tu nocturna diurnaq; versas manu Veterum exemplaria novorumq;, & quod me vides facere, facis recte. Ego interim cupio in Te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam. Testem diligentiæ Tuæ sisto, quam sistis luci publicæ, doctissimam Tuam de* Umbilico *disputationem, quæ demorsos sapit ungues Tuos, Tuo marte Tibi paratam! Non possum ergo non gratulari ILLUSTRI PATRIÆ hac de spe egregia: CL^mo PARENTI de filio obedientissimo, de industrio vero discipulo mihi. Qui si porro perseverabis labore improbo, brevi tanta studia, ceu eruditum hunc* Umbilicum, *ad umbilicum perduces feliciter, eorumque lauta exspectabis præmia, quia*

Nunquam potest non esse Virtuti locus!

Scribo in Museo meo Anno
M DC LXXIII.

OHe ! mox satis est ohe laborum !
Sic qui noctibus & diebus ardens
Incumbis *veteris novæque* sortis
Libris ; Tu *vetus* inde habeto nomen ;
Et *nova* celebrere dignitate ;
Perge , & pervenies ad umbilicum !
Sit Tuus Tibi testis Umbilicus !

Amicorum non infimo & Commensali suo suavissimo amicitiæ gratiâ hæc apposuit

Johannes Dolæus, Med. Stud.
Francoth. Pal.

WJe dann O treuer Freund / wie daß du durch dein schwitzen
So hurtig schwingest dich hin auff deß Pindus Spitzen /
Hat schon bey dir gefrucht die süsse Tugend-Saat ?
Vnd sich so bald zu dir jen's Götter-Kind genah't
Die allzugrosse Kunst ? Hat dir das Hertz gerühret
Durch ihren süssen Lohn / wordurch sie dich geführet
Dort zu dem Phœbus-Volck / das allzuschönste Gut
Die Weißheit ? so nun dich getränckt mit ihrer Flut.
Ey nun so fahre fort / weil du noch siehest grünen
Die Blüte deiner Jahr / daß du mög'st baß verdienen
Den Ehren-Palmen-Zweig / den selbst Apollo dir
Wird geben / wo du so tracht'st nach der Tugend Zier.

Dieses hat seinem trauten Freund vnd werthen Stuben-Gesellen dem Herrn Respondenti auß heischender Schuldigkeit auff vnd hinzu gesetzt

Johann Christoph Heerwart /
von Eysenach / B.R.B.